

Le texte proposé ici a été établi à partir de l'édition des 'Poemata' d'Andrea Dactius parue à Florence, chez Lorenzo Torrentino, en 1749.

Celle-ci se signale par une typographie médiocre et souvent fautive, une ponctuation dont le principe est peu compréhensible, un texte, enfin, parsemé d'erreurs et de lacunes (signalées ici par <...>). En un mot, ce texte nous a donné, pour son établissement et sa scansion, de la tablature. Notre travail n'est qu'une ébauche d'édition.

A la décharge de l'éditeur, il faut préciser que Dactius, mort en 1748, n'a pu contrôler toutes les opérations d'édition et d'impression.

ARGUMENTUM

P_1	v.1	Cum ferus Odrysios agitaret in aere currus
	2	et quateret Latii Martius arva furor,
	3	saeva cruentatis Bellona jugalibus orbem
	4	terrui : immittes ut sonuere tubae ;
	5	rupta quies populis turbataque foedera rerum
	6	implerunt querulis tristia saecula modis.
	7	Aonidum profugus latebras chorus, exsul Apollo,
	8	quaesivit trepida condita lustra fuga.
	9	Ast ubi bellorum medio fortuna tumultu
	10	efferat conversis ora retorsit equis ;
	11	prima salus placidum trepida caput exerit urbe
	12	floridaque horrifico liberat arva metu.
	13	Ornatu tranquilla suo pax diva resurgit,
	14	et vernat gemino sidere laeta Ceres.
	15	Phoebe, redis, Comitesque sacrae juvat alta virorum
	16	nomina per titulos concelebrare suos.

ANDREAE DACTII PANEGYRICUM CARMEN AD PRAESTANTIS VIRUM COSMUM
PACCIUM FLORENTINUM PONTIFICEM IN EJUSDEM LAUDES FELICITER INCIPIT.

P_2 v.1 Jamdudum rapidae disjecta mole procellae
2 indulgere Deos, astris felicibus, Urbi
3 crediderim, cum laeta novo decoravit ovantem
4 imperio fortuna virum ; fessisque salutis,
5 haud dubio certum monstravit remige portum
6 puppibus : aetheriae reserato lampadis igne.
7 Instabilisque vado quondam ratis, aequoris alti
8 summa tenens, Scythici contempsit murmura venti ;
9 antiquum decus et vestigia sacra parentum,
10 ancipiti terrore fidem oppugnante secuta.
11 Illa dies Stygia mersam caligine terram
12 flammiferis lustravit equis, et luce corusca
13 densa procellosis laxavit nubila caeli.
14 Inque suam faciem rediit polus, aetheris alti
15 aurea pacatis fulserunt ignibus astra.
16 Tum venti posuere, siletque inclusa tenebris
17 Hippotadae furibunda cohors, et carcere clauso
18 prodiit alma quies pelagoque illapsa trementi
19 turbida fluctisoni compescuit aequora Ponti.
20 Immotasque dedit pacatis fluctibus undas.
21 Agnovere deos tellusque et pontus et aether.
22 Nam quis mortali majora pericula captu
23 nescius humanae miseris medicamina dextrae
24 credidit esse satis ? Corruptis ossa medullis
25 tabuerant late nec foedo vulnus hiatu
26 marcida tabificae retegebat viscera pestis.
27 Major erat facie quam quae prodiret aperta
28 vis interna mali, quam quae sperare salutem
29 pollicitaretur. Nec tactus aegra salubres
30 membra pati medicasque manus lenire dolorem
31 voti summa fuit ; votis majora precantes
32 assequimur. Laxas ut primum rector habenas
33 inspexit, curaque animum defixit in illa.
34 Admovitque manus. Serpentis tabida morbi
35 ulcera laetiferas paulatim amittere vires
36 cernere erat, sensimque novas increscere carnes
37 pestifero cedente malo, dum laxa coiret
38 rictibus inversis obducta pelle cicatrix.
39 Quid si fata sinant, et justi numina voti
40 auspiciis foveant exordia tanta secundis,
41 ore canam majore virum, dextraeque potentis
42 altisono referam sublimia carmine gesta.
43 Audiet Hesperius Baetis, mirabitur Indus,
44 consilium pectusque viri. Sarraca Bootae
45 grandia praescitae relegent praeconia famae,
46 fervidus ipse alios mirari desinet axis.
47 Tuque adeo tanto Florentia praeside felix,
48 protinus aetherii nutu dictata Tonantis
49 concipies. Tollesque novos ad sidera vultus
50 praesidio secura Dei. Lateque potenti
51 jura manu, gladiumque ferens. Subjecta videbis,
52 Imperii fines, gemini vaga caerulea Ponti.
53 Ni frustra vatium monitus, et sidera caeli

54 inspicimus, vanasque dedit decepta vetustas
55 aeternum vitae peritura in saecula leges.
56 Sed neque tam superis non sunt mortalia cordi
57 humanumque genus damnata prodiit alvo,
58 cetera cum teneant positas animantia metas,
59 una capax superum, divinae mentis imago,
60 ut spatii incerta ruat frustraue vaetur,
61 subdita perpetuis hominum natura tenebris,
62 quam summis cognata deis tam nescia veri,
63 quemque locus jactis feriat praedocta sagittis ;
64 et jacula et pharetras et robora nefiat arcus.
65 Scilicet alitibus pelagique feracibus undis
66 consuluit natura parens ; sua commoda norunt
67 quadrupedes, inopi metuit formica senectae
68 ante nives nimbosque graves, atque aethere sudo
69 buccula praesentit pluvias, et garrula cornix :
70 sentiet instantis, jam pondere pressa ruinae
71 infelix hominum frustra vecordia, casus.
72 Usque adeone furor quemquam tenet ; exiit ullus
73 sic hominem, captusque animis induruit amens ?
74 Ut quae summa tenent, serie complexa minorum
75 virtutem, subito pervertat ad infima lapsu
76 seque suosque gravi velit attrivisse ruina.
77 Anne aliquem tanta prorsus caligine mergi
78 credendum, videant alii ; mihi sacra profanis
79 permiscere nefas et laetis tristia rebus,
80 quem sacra promeritae praeconia condere famae
81 Musa jubet, raptumque novis super aethera pennis
82 praescia fatidici reserare sacraria Phoebi.
83 Conceptasque dei numeroso pectore voces
84 haud dubiis proferre notis ; jam membra pererrat
85 Delius, et magno saliunt praecordia motu.
86 Angustumque deo pectus tumet : aestuat intus
87 mens animis complexa suis majora, novumque
88 jussa canit populis ventura in saecula carmen.
89 "Solve metu trepidam superum gens conscia mentem
90 finis adest scelerum. Polluti letifer orbis
91 effluxit venis late cruor : irrigat hausta
92 vividus atque intus pascit vitalia sanguis,
93 antiquusque redit membris vigor : exue luctus
94 induvias veterisque cape ornamenta decoris,
95 laeta quatergemini redeunt tibi saecula Jani."
96 Talia quis vero dubitaret Apollinis ore
97 edita, terrarum quam mox implenda per orbem ?
98 Mentiri quis fata putet ? Tu conscia sacri
99 pectoris et fidens superis Florentia, quicquid
100 crediderint alii, solemnia concipe vota ;
101 spesque animo tranquilla fove. Tibi certa futuri
102 signa patent decoris ; tantaque accomoda moli
103 fundamenta vides. Et jam tua moenia surgunt
104 ad pinnas urbemque nova cinxere corona.
105 Jam turres aequis spatii, jam munia fossae
106 dant animos, media jam caelitus exserit urbe
107 attollens arx alta caput, jam sidera tangit
108 vel positu secura suo lateque minatur
109 mole nova, tutosque parat cultoribus agros

110 eminus et nutu vicinas territat urbes.
 111 Aspice quae sumptis pubes effulget in armis,
 112 pervigil et patrios servat custodia fines :
 113 mox populos pressura metu, quo jure manumque
 114 temperat unanimem prudentia principis urbem.
 115 Sed quid ego angustis tam grandia finibus amens
 116 amplecti frustra nitor. Sic aequora Ponti
 117 litoris arta capit fluctu exundante, lacuna,
 118 Oceanumque brevis complectitur Hellespontus.
 119 Majores haec signa manus, majoraque poscunt
 120 gesta tuba graviore cani. Signasse per umbram
 121 sat fuerit nunc ista notis ; mox omine certo
 122 cum vires animo tempus dabit actaque verbis
 123 aequavisse fides studiis increverit olim :
 124 moliar ingentes divini carminis orsus.
 125 Nunc stadium ad positam liceat decurrere metam.
 126 Exiguoque brevem molimine claudere gyrum,
 127 jam pronis certamini equis, jam carcere rupto
 128 pulvere conspersis cavea plaudente quadrigis.
 129 Ergo age compositis certa sub lege profanis
 130 religionis opes, et sacris debita templis
 131 nomina ; et addictam superis circumspice turbam.
 132 Fas mihi vera loqui, Pastore carentia totis
 133 errabant armenta viis, passimque soluti
 134 per dumeta greges, caecaeque per avia noctis,
 135 laeta vagabantur saevorum praeda luporum.
 136 Quosque aliis voluit, sanctae documenta severis
 137 moribus omnipotens exempla tradere vitae ;
 138 in laqueum cecidere homini. Mersusque profundis
 139 errorum nebulis, caligine ductor eadem
 140 mersit anhelantem sua post vestigia turbam
 141 hinc fecunda mali contagia, diraque labes
 142 criminibus saevire novis : hinc serpere late
 143 in populos miseranda lues, frenisque solutis
 144 permixum fas atque nefas positoque pudore
 145 venales animas dirae scelus attulit artis.
 146 Jamque arcem et primas vitium sibi poscere partes.
 147 Praestat et esse nocens. Scelerum jam sola voluptas
 148 perfectum verumque bonum summumque. Quid autem
 149 prosequor infandae miseranda piacula vitae.
 150 Scilicet exhaustos libet inspectare labores,
 151 navifragosque maris fluctus saevasque procellas.
 152 Cum portum tenuere rates, rabidique furores
 153 pace referre juvat, et summa pericula Martis.
 154 At nondum sevi discrimina mensa profundi
 155 nostra ratis, portumve tenet, sed fluctuat ingens
 156 Pontus adhuc, horretque feris Gradivus in armis.
 157 At procul immitem, turbato pectore, pugnam
 158 Gorgoneos metuens vultus campumque reliquit,
 159 sacraque Palladios sequitur concordia gressus :
 160 tum nubes cessere graves ventique ruinae.
 161 Fluxeruntque levis per summa cacumina mali.
 162 Concordes animae, revocato Castore, Pollux,
 163 certa salus nautis, tranquillo caedere ponto
 164 quis Jovis auspiciis astrisque jubentibus horret ?
 165 Haud equidem portum et navalia fida tenentem

166 praetulerim tumidum, velo remoque, carinis
 167 ominibus nutuque deum, scindentibus aequor.
 168 Nec frustra veterum perhibent monumenta parentum ;
 169 Fortunam populi dominantum sorte virorum
 170 mutavisse vices. Undantes sanguine campi
 171 Cannarum et Libyco disjectae Marte secures,
 172 infelix Varronis opus. Prospexit eadem
 173 obsessas captasque die Carthaginis arces.
 174 Hesperiae sol altus adhuc, cum junxit Iberis
 175 Scipio Sidonios, generoso Marte triumphos.
 176 Insignes caudi Romano vulnere furcas
 177 credula Postumii mens reddidit ; omine verso
 178 dedecus Aeneadum, properatis abstulit armis
 179 subjuga coniecto victore Papius hoste.
 180 Allia funesto maculavit nomine fastos
 181 auspibus Fabiis. Cremerae non foedior olim
 182 Romulidum strages : dedit in Capitolia flammam
 183 illa dies ; tum victa furens per moenia Gallus,
 184 involvit captam flammis et caedibus urbem.
 185 Pensantes aurum patriis a sedibus exsul
 186 aggressus, magna restinxit caede Camillus
 187 ardentis patriae muros atramque favilla
 188 purpureo texit Gallorum sanguine terram.
 189 Altius antiquae certamina prospice gentis :
 190 si non Roma satis, totus tibi panditur orbis.
 191 Assyrios, summaeque vides fastigia Hini,
 192 quaeque Semiramio Babylon fundata labore est,
 193 Sardanapallaei mollita libidine luxus
 194 accepisse jugum. Victique ingentia Medis
 195 ad Persas Asiae migrasse insignia regni.
 196 Donec Achaemenias subvertit Pella phalangas.
 197 Usque adeo multum certo discrimine refert.
 198 Quo duce bella geras, cujus commissa geratur
 199 publica res avibus. Tristes si tollere casus
 200 non homini penitus licuit, praenosceret fata
 201 delectumque datum. Vitae simulacra futurae
 202 praeteriti mores, transactaque tempora reddunt
 203 hinc post Ticini cladem Trebiamque cruentum,
 204 Etruscique lacus, maculatos sanguine fluctus,
 205 Maximus imperium Romanae suscipit urbis.
 206 Cunctatorque nova Libycum premit arte tyrannum.
 207 Concepit Tyrios pubes Romana triumphos,
 208 magnarumque modum cladum, finemque laborum
 209 cum primum Libyae consul penetravit in oras
 210 Publius ; Hesperio virtus spectata sub axe,
 211 porrexitque hilarem laeto certamine frontem,
 212 spe superante metum. Patrios excedere mores
 213 Hannibalisque minas inter Macedumque furorem
 214 credidit esse nefas. Sic olim Graia propago
 215 principibus laetata suis. Sic Barbara pubes,
 216 Hebraeumque genus, magno dilecta tonanti
 217 progenies tituloque sacri insignita peculi,
 218 aurea cum primum gestaret sceptrum Tyrannus,
 219 aut secreta novus intraret templa sacerdos,
 220 festa coronatis duxit solemnia pompis.
 221 Indulsitque choris, plenis convivia mensis

222 acceperere epulas largo resoluta Lyaeo.
 223 Increpuere lyrae, letoque per ampla tumultu
 224 atria sidereas pulsarunt carmina sedes.
 225 Nec vero quondam tanti cognominis haeres,
 226 dedignata fides veterum documenta parentum.
 227 Accepitque libens laeti solemnia sacri
 228 principibus celebrare suis. Quid pectora porro,
 229 quid totam prohibet laxare in gaudia mentem ?
 230 Oblitumque sui, festi per compita saltus
 231 exsultare choris, laetasque adsidera voces
 232 carminibus proferre novis ; jam gaudia pectus
 233 non capit, erumpunt injusso gutture mentis
 234 jubila, nec frenos animus sibi temperat, ingens
 235 intus laetitiae gestit furor, intima versat
 236 corda deus. Residemque novis calcaribus urget.
 237 Cognita jamdudum probitas, multosque per annos
 238 tot numeris spectata suis celeberrima virtus,
 239 inclyta Janigenae fastigia suscipit urbis.
 240 Miraturque sui laeto Florentia vultu
 241 Pontificis decus, et cupidis amplectitur ulnis
 242 progeniem venerata suam ; nescitque tuendo
 243 expleri rursusque virum rursusque pererrat
 244 luminibus, mulcetque manu. Quippe intima tentat
 245 viscera laetitia, et totos perfunditur artus,
 246 non tenebris obscura latens. Longumque negatae
 247 abrumpunt hilares ignava silentia voces.
 248 Exsultare libet : partus oblita dolorum
 249 sic mater sic tota domus, cum masculus auras
 250 attigit, et teneris vagit ploratibus infans,
 251 perpetuo gaudet staturae semine prolis.
 252 Maturosque animi tenero tum stipite fructus
 253 concipit, indulgens votis, decorisque futuri
 254 spem fovet, atque omnis praesumit gaudia vitae,
 255 numinibus confisa deum. Sacraene parentis
 256 arguerit quisquam vestigia certa sequentem ?
 257 Laetarique suae spectantem jubila matris ?
 258 Ne genus humanum superi tam tristis Erinnys
 259 occupet, aut si quos furor hic invaserit olim
 260 nunc procul abfuerit. Procul hinc procul usque facessat
 261 livor, et immanis compresso protinus ore
 262 invidiae rabies, nigri petat atria Ditis.
 263 Dum sacra promeritae canimus praeconia laudis,
 264 grandiaque exiguis veneramur numina libis.
 265 Quae natura parens, quae fors dedit aurea templis
 266 dona ferant alii, gemmasque oriente petitas.
 267 Fortunae adridentis opes. Nos auspice Phoebos
 268 nescia gens auri, parvoque assueta propago,
 269 dulcia Maeonio modulemur carmina plectro,
 270 in commune decus. Famam volventibus annis
 271 si non materiae vates, praestare poetae
 272 materies poterit meritas persolvere laudes
 273 ingenii majoris opus. Potuisse negabis :
 274 concedes voluisse tamen. Quis fomite nescit
 275 susceptam in magnas scintillam crescere flammam.
 276 Forsitan his alius stimulis agitated, honesto
 277 concipiet majora animo conceptaque pandet

278 ingenti graviora tuba, numerosque potentes
 279 aequabit factis nomenque ad sidera tollet,
 280 Cosme, tuum, tecumque sacro requiescet Olympo.
 281 Ergo age quas vires terras fecunda petenti
 282 ingenio natura dedit. Quas cura laborque,
 283 quas studium cupidique vigil mens pectoris auxit,
 284 Phoebe, move, doctasque tuo de monte sorores
 285 arida Castalii praecordia tangere fontis
 286 rore jube, sacrumque animo inspirare furorem.
 287 Tuque adeo, quaecumque agites, quocumque sub orbe,
 288 huc ades, et trepidae sub iniquo pondere menti
 289 da dextram, gnarumque tui deus indue pectus.
 290 Non ego tanta meis expromere vocibus ausim
 291 te sine : tu facilem monstrato tramite cursum
 292 expedies, fessumque gravi tu fasce levabis.
 293 Te labor iste manet, siquem manet. Inspice quanta
 294 mole virum, quanti praeconia pectoris, ardet
 295 mens numeris celebrare suis. Non alta parentum
 296 nobilitas, capitisque decus, non maxima desunt
 297 ingenii monumenta gravis. Versata per omnem
 298 Fortunam, multo virtus manifesta periclo,
 299 fulxit, et adversis nitentis in avia mundi
 300 cardinibus stabili tenuit vestigia nisu.
 301 Quae prima, aut quae summa cana ? Quis carminis orsus
 302 unde movere jubes, tibi sistere, copia rerum
 303 in diversa trahit. Gentis cunabula primae
 304 ordiar : Arnigenae deductam ab origine Pacci
 305 progeniem. Longos servatum nomen in annos,
 306 quaesitumve manu specimen terraque marique.
 307 Usque Palaestinae sacrata ad maenia rebus.
 308 Perpetuumve sacris raptum penetralibus ignem,
 309 advectum patrios longinqua per aequora muros.
 310 In decus aeternum gentis, cui more vetusto
 311 annua flammifero celebrantur sacra covinno.
 312 Sic Anchisiades Phrygios vexisse Penates
 313 Vestalosque focos, Troja ex ardente receptos,
 314 creditur Hectoreo Lavina ad litora jussu.
 315 Sacraque magnanimos servasse accepta nepotes.
 316 Quid tritavos atavosque loquor. Quid prisca virorum
 317 stemmata. Quis late quondam virtutibus aetas
 318 majorum, quae gesta virum, bellique domique,
 319 floruerint. Patres et nostri temporis acta
 320 longa referre mora est. Summos Florentia cives
 321 consiliis opibusque, viros experta, probavit.
 322 Tum paria innumeri facto sensere periclo
 323 Hesperiae populi. Nec tanti nominis olim
 324 Fortuna genus indignum se praebuit. Ingens
 325 fama, sed ingenti majores nomine praesens
 326 agnovit spectator opes. Quis templa, quis aedes
 327 privatasque domos regali condita luxu
 328 nescit, et aequali fluctas molimine villas.
 329 His alios titulos, animas his adde superbas
 330 munificasque manus, largasque merentibus altae
 331 gentis opes. Nunquam frustra sperare petenti
 332 permissum. Indulsit trepido generosa pudori
 333 saepe manus seseque timentibus obtulit ultro.

334 Iis studiis, et quas natura benignior artes
 335 edocuit, celebris Latias pervaserat urbes
 336 fama virum, et crebris paulatim vocibus orbem,
 337 non patriis contenta focis, implerat, et alto
 338 vertice jamsuperat nubes, jam sidera tangit.
 339 Hinc homini de patre genus. Materna propago
 340 altera nobilitas, Medices praeconia gentis
 341 junxit et antiqui revocavit nomina Cosmi.
 342 Quis animis gesticque viri. Sed enim omnia versat
 343 invida nec summis parcit Rhamnusia rebus,
 344 tristia latificis et summis infima gaudens
 345 permutare manu, et subita miscere ruina
 346 quicquid ad aetherios vultus tulit altius ignes.
 347 Nec fatum superare datur : tulit impetus horae
 348 multorum decus annorum vectamque profundo
 349 saepe ratem, scopulos inter turbantibus Austris
 350 ad portum tenues zephyri fregere procellae.
 351 Sic visum superis. Tanti solacia luctus
 352 inter tot strages, tot sparsa cadavera ponto,
 353 naufragii tabulas per caerula summa natantes
 354 collegisse juvat, cupidisque amplectier ulnis
 355 servatam cum stirpe domum, licet invida multum
 356 abstulerit, quam plura tamen Fortuna reliquit,
 357 arbitrio majora suo, nomenque, decusque,
 358 ingentesque animos, et nescia cedere corda
 359 tristibus, et magnum sacrae virtutis amorem.
 360 Iisne superstitibus gemitu turbanda putamus
 361 pectora, transacto sexti jam tempore lustris ?
 362 Poenae olim siccis tulerit cum Cosmus ocellis
 363 vulnera tanta Puer. Jam tum praenuntia virtus
 364 indolis egregiae, vix dum patientibus annis,
 365 signa dabat, late decoris manifesta futuri.
 366 Nec flos aetatis puero, nec gratia formae
 367 defuit, et faciles animos sibi jungere mores.
 368 Utque brevi tenerae repetam primordia vitae,
 369 donec opes, patriumque decus. Rhamnusia fovit
 370 multa licet pueri gravitas moresque severi,
 371 ingeniumque capax, superet profectibus annos ;
 372 cura tamen vitaeque genus, formido parentum,
 373 credita, lascivae motus cohibere juventae.
 374 Delectusque animi potuit timor esse videri.
 375 Sic quae sponte sua recto petit aera trunco,
 376 vallorum fulcris et curae adscribitur arbor.
 377 At postquam trepido subvertit laeta tumultu
 378 saevitia fortuna sua, ceciditque superbae
 379 nobilitas generosa domus : cum pressa ruina
 380 mens simulare nequit, nudo cum pectore pandit
 381 affectus natura suos, oblitaque fuci
 382 ora inculta aperit nullo vitiata colore.
 383 Tunc mores patuere graves animique verendi
 384 majestas, tantisque malis constantia major.
 385 Invictumque caput quicquid fortuna tulisset.
 386 Quo vultu, qua fronte puer, qua mente, suorum
 387 excidium mortemque tulit, quo pectore patris
 388 exilium, sortemque suam. Constantius aegre,
 389 cum male Cecropiis audivit justus Athenis,

390 pulsus Aristides, caecae tulit ostracon urbis.
 391 Aut post Sidonios facinus memorabile currus,
 392 Scipio Romuleis excessit moenibus exsul.
 393 Quos adversa malis, quos prospera fata, secundis
 394 corrumpere viros ? Rara est constantia. Paucos
 395 incolumes populis Siren aut Scylla remisit.
 396 Hic velut Iliacae subversor callidus urbis :
 397 per mare, per terras, per mille pericula vectus,
 398 adversis patrias major remeavit in oras ;
 399 providus incertae digessit tempora vitae.
 400 Ingentemque virum quaecumque in fata retexit.
 401 Nam neque Fortunae placido blandoque favori
 402 credulus, addictas mentis permisit habenas.
 403 Fortia nec fato subjecit colla minaci
 404 degener, indocilis servili audire timori.
 405 Has animi dotes, jam tum puerilibus annis
 406 cura vigil, studium ferax spretorque laboris
 407 laudis amor, plaudensque suis sibi gloria pennis,
 408 noscendi tum vera sitis rectique cupido
 409 auxit ; et ardentem stimulis gravioribus egit
 410 Adderus, et divae suprema cacumina famae.
 411 Iis et enim natura hominum dedit artibus, olim
 412 imperfecta suum contingere semina finem.
 413 Ut fruges plantasque frequens cultusque laborque
 414 perficit, et largos certo dat tempore fructus.
 415 Humanis ergo studiis noctesque diesque,
 416 intentus, primae transegit tempora vitae.
 417 Mox alia ex aliis crescente cupidine fructu,
 418 aggreditur donec studio superante laborem
 419 septuplicem magnae lustravit Pallados orbem.
 420 Hinc terrae pelagique vices, impressaque signa
 421 nubibus aeriis, flammisque ardentis Olympi,
 422 scrutatur, piscesque maris, volucresque ferasque
 423 quae natura poli, quae sideris, omnia caelum
 424 claudat, an aeternis volvuntur motibus astra.
 425 Quos privata domus mores, quos publica poscat,
 426 quae natura animae, quae vires, tempora, partes
 427 quis rector rerumque sator. Mox ordine verso,
 428 sacra revelatae triados mysteria lustrat,
 429 humanumque Deo mixtum genus. Altaque nullo
 430 semine virginei partus miracula, quique
 431 sacrificia in carnem panis mutatur in ara.
 432 Fitque merum sanguis, magnus cum verba precesque
 433 concipit, et Domini profert dictata Sacerdos.
 434 Quaeque professores verae cognoscere virtus
 435 Religionis avet, quorum commissa regantur
 436 auspiciis aliena salus. Haec maxima porro
 437 cura viri studiumque fuit. Quodcumque saluti
 438 conferret cultuque animi, noctesque, diesque
 439 scrutantem, nulli penitus cessisse labori.
 440 Quo sibi, quo generi, per tanta pericula rerum
 441 humano, prodesse queat, poscentibus horis.
 442 Talis apes sparsos per prata virentia flores
 443 lustrat et electo succum de germine sumens,
 444 multiforas sacro distendit nectare cellas.
 445 Insuper ingenii sollertia praestitit, ut quae

446 ad metam properans cursu transegit anhelō ;
 447 altius ebiberint avido praecordia suctu.
 448 Multorumque animi vires possederit unus.
 449 Paene <.....> omnes Magni ut vindicat orbis (vers lacuneux)
 450 Italis, Aeneadam tellus insignis, alumnis.
 451 Nam veluti medio pendentis in aere terrae
 452 non eadem cultura locis : haec apta serendis
 453 frugibus, hic vites et magni dona Lyaei
 454 proveniunt, illic diva tua munera Pallas.
 455 Omnia nec fert omnis ager : natura virorum
 456 sic animus diversa dedit. Fremit horridus armis
 457 Martius ille furens, tranquillae nescia vitae
 458 pectora. Labentis tacite praesagia caeli
 459 alter, et astrorum motus, et tempora servat.
 460 Metitur terras alius mundique recessus.
 461 Hic numeris contentus agit, suspendere captos
 462 auribus orator populos laetatur, at ille
 463 quemque capit verbis cogitque incerta fateri
 464 arbitrio dictata suo. Hic abscondita rerum
 465 naturamque omnem superumque, hominumque recludit
 466 consilio praestant alii rebusve gerendis.
 467 Non tamen ingenii vires non corporis omnis
 468 unus habet : multis fines nascentibus Arctos
 469 imposuit, paucis felici sidere vitam
 470 invida concessit fati natura sinistri.
 471 Hos quoque saepe suis frangit Fortuna procellis,
 472 corrumpitque bonis ; raros a carcere. Cursu
 473 vidit in offenso, metam cinxisse theatrum.
 474 Atque adeo plausu, caveae majore faventis
 475 excipitur, magno sudans certamine victor ;
 476 quam cui se facili tribuit victoria lapsu.
 477 Sic vetus Herculeos miratur fama labores,
 478 sic et Achaemenio sparsum Marathona cruore,
 479 et Salaminiaco disjectas aequore classes.
 480 Cannarum sic Roma memor, Libycique furoris,
 481 Scipiadae magnos stupet admirata triumphos.
 482 Dum toga non cedat sagulo, concordia bello,
 483 qui minus his nostro mirari hunc convenit aevo ?
 484 Aut quibus ingenui leges transgressa pudoris
 485 invidiosa dedit sapientum nomina, mendax
 486 Graecia, si decoris pretium si gloria rari est.
 487 Fare age quem confers hominum ? Constantia robur
 488 pectoris, ingenium, mores, doctrina, petatur,
 489 consiliumque viri. Quisquam Constantius umquam
 490 dura tulit ? Tenuitve gradum per prospera ? Cujus
 491 ut Latii sermonis opes carmenque sinatur,
 492 raraq̄ue per populos Graiae facundia linguae,
 493 quasque alias artes docuit studiosa vetustas.
 494 Non dubia res certa fide : fare edito, cujus
 495 consilium gravius ? Potiorve in pectore morum
 496 gratia ? Quis castae nescit praeconia vitae ?
 497 Immunemque mali per mille pericula famam
 498 nominis ? Infelix tacuit vocemque repressit
 499 Livor, et obtutu fixo contabuit amens ;
 500 ignarus quid carpat adhuc. Hoc lumine vitae
 501 per tenebras sibi fecit iter sensimque vocatus

502 Arreti subiit speculam, sedemque regendam.
503 Hic primum veteris cessit fortuna procellae,
504 arrisitque viro, laeto Rhamnusia vultu.
505 Acrius ergo animi vires intendet ; acuto
506 omnia perlustrans visu, seseque prementi
507 protinus accingit operi : tum magna fatigat
508 cura virum ? Sentit quanto discrimine rerum
509 summa tenent homines, oculosque in principesfixos
510 parentis populi minimumque licere potenti.
511 Tum patuit magni prudentia pectoris, acre
512 ingenium, vitae probitas moresque severi.
513 Qua cultum pietate dei, qua sacra peregit,
514 quo studio commissa gregis vigil agmina pastor
515 pavit, ut aegrotos cura graviore saluti
516 reddidit, insidias cavit visusque luporum.
517 Quam mitis placidusque bonis, pravisque severus,
518 exactor morum nullius non memor umquam
519 officii, gratus meritis, ad munera largus.
520 Nec tamen interea studium musasque reliquit.
521 Lis animum curis fessum levat, una voluptas
522 ista viro, rebus cum se revocaret agendis
523 inclita magnorum versare volumina patrum.
524 Doctorumve gravi dubium conferre corona.
525 Prima refulgentis sensit praeconia famae,
526 primaque legitimos carpsit Florentia fructus ?
527 Usa viro, cum jam turbato foedere rerum
528 Itala Barbarico premeretur terra tumultu.
529 Ille igitur regum magnas orator ad urbes
530 magna super, patrii sic gessit munus honoris
531 ut primae poscebat amor, magnisque peractis
532 usque videretur rerum ad majora creatus.
533 Nec praesumptos in populos spes tanta fefellit.
534 Nam patrios inter proceres ut functus eodem
535 munere, Dardaniae penetravit moenia Romae,
536 maximus Imperium caperet cum Julius orbis
537 jurarentque sacri reges in verba parentis.
538 Protinus ingenti famae sublimis honore,
539 tot proceres inter praeclaraque nomina lectus
540 mittitur Hesperias magni legatus in oras
541 Pontificis ? Tituli praestantia munera rari.
542 Idem etiam, sumptis cum jura reposceret armis
543 Julius Imperii geminoque invaderet oram
544 Felsiniam bello ? Ne quid vicina moverent,
545 accipit in populos gladium fascesque verendos,
546 Flaminiae. Donec ex urbe facesseret hostis.
547 Acciperetque sacri pacata Bononia leges
548 Pontificis. Dominoque audiret laeta priori.
549 Nam neque belligeri voluit Fortuna tumultus
550 expertem, sed in hac laudem quoque parte mereri.
551 Ut quaecumque genus magnum mortale per orbem
552 momenti majoris agit, praesentia praesens
553 cerneret, et rerum vario suprema periculo
554 impleret numeros prudentia pectoris omnes.
555 Namque licet scriptis animos servata vetustas
556 non nihil erudiat : "Multo perfectius omnes
557 novimus illa tamen, nostri quae cura peregit

558 ingenii, quam quae diverso gesta sub orbe,
559 nuntia fama tulit, memorive recondita biblo
560 scriptor ad optatos misit post fata nepotes.
561 Atque ideo quisquis quavis praeceptor in arte
562 praecipiant ut agas. Pulchrum est cognoscere partes
563 privati, quae cura ducis, quis militis usus,
564 quod belli, quod pacis opus. Sed maximus ille est
565 humani rarum generis decus, optima cujus
566 ingenio natura dedit, sublimia rerum
567 scrutantem, facili mentis deprendere captu.
568 Securumque sui late, Bellique Domique
569 munus obire viri. Ac demum sic plurima nosse
570 ut peragat, poscente die. Spectavit Athenis
571 talem fama virum, siquem dant fata Platonem,
572 talis et Aeneadas inter Cato fulxit uterque.
573 Quosque alios veterum laudant monumenta parentum.
574 Atque aliqui nostro non invida quos tulit aevo.
575 Ingentes natura viros aequanda priorum
576 pectora nominibus. Quorum per gesta nepotes
577 ire aveant, magnis faveant modo numina coeptis.
578 Nec fraudata suo privetur nomine virtus,
579 tanta virum. Quicquid majorum pectora vatium,
580 concipiant, nostri quicumque est carminis orsus
581 aspicit audentem siquis deus, omine dextro ;
582 enitar tantisque viris mihi nomina quaeram
583 laudandis. Teque in primis celeberrime nostri,
584 Cosme, decus specimenque aevi, qui clara parentum
585 stemmata et ingentes patriae sublimis honores
586 laude nova cumulas. Magnique per ardua mundi
587 ad superos tibi pandis iter summasque per auras
588 attollens sublime caput terraque levatus
589 virtutum meritis et rerum luce tuarum,
590 ad suprema deum manifesto numine tendit.
591 Mox ubi terrarum speculas et culmina linques
592 aetherias aditure domos sedesque beatas
593 sed tibi grandis adhuc restat via : crudus habenis
594 orbis eget, manibusque tuis revocanda Parentum
595 religio, revocanda fides, reddenda cathedrae
596 per populos Astraea suae, tenebrisque repulsis
597 inducenda dies animis. Temone recepto
598 tu populis. Tu jura dabis sanctisque fugabis
599 moribus, infandae miseranda piacula noctis,
600 restituesque sacrae, pulsa caligine terrae
601 igniferos Phaetontis equos, et luce corusca
602 lustrabis gentes. Tanta tibi gloria laudis
603 debetur tantumque decus. Ni nomen inane
604 imposuit natura tibi, ni vanus haruspex
605 praescia fatidicis decepit viscera fibris.
606 Incertusque animi mentem delusit Apollo.
607 Sed neque Phoebe tibi fas est diffidere nec te
608 naturam culpae licet, fibrasve calentes.
609 Promittunt majora viri nomenque decusque
610 gestorumque fides lustris bis quattuor et quae
611 fama diu laetam graditur diffusa per urbem.
612 Inque bonam frugem, cultoris nomine tantum
613 audito, conversus ager. Sed enim ista referre

614 tunc aderit, cum juncta sacro laetabitur olim
 615 sponsa viro, totusque suis de partibus orbis
 616 ad nova mutatos tollet solemnia vultus.
 617 Tum mea multifidos inflabit fistula versus ;
 618 tum largum fluet ore melos totisque petitus
 619 viribus, Aonios effundet Delius haustus.
 620 Audiet a ventis laetantem quattuor orbis.
 621 Nunc tacito gaudere sinu laetasque fovere
 622 spes animo pendente juvat, laribusque paternis
 623 grandia concepti praecludere juba voti.
 624 Uniusque tui laetari nomine tantum,
 625 o felix Cosmo Florentia praesule, quondam
 626 ad numeros vitae plenos revocata beatæ.
 627 Quas superi grates solves ? Quae victima magni
 628 nobilis ingentes templi sistetur ad aras ?
 629 Quos hymnos, quae sacra feres ? Effundere laetis
 630 vultibus et vacuo curarum pectore templis
 631 invigila : nonnulla tibi vacet ignibus ara.
 632 Festa coronatis solemnia duc age pompis.
 633 Funde preces hymnosque frequens. Sacrisque peractis
 634 posce deos veniam supplex, caeloque fatere
 635 non opis esse tuae dignas persolvere grates.
 636 Nam si quando alias caelo demissa secundo
 637 effulxit tibi laeta dies, haec magna decoris
 638 incrementa tui superumque ad summa vocantum
 639 pignora certa dedit. Geminato sidere portum
 640 jam tua cymba petit, pelagi segura tumentis.
 641 His tua principibus consurgit ad aethera pubes
 642 viribus ingenioque potens nam denique tales
 643 subdita turba sumus quales in Principe mores.

IN PERFIDUM.

P_3 v.1 Perfidia siquid credis sceleratius esse
 2 jus dicam te non mentis habere tuae
 3 illa etiam superos mortalibus improba reddit
 4 infensos testis Laomedontis opus
 5 illa rapi jubet arma manu, jubet ire per altum
 6 aequor, et infidas concutere ense domos
 7 perdidit Ogygios alterno vulnere fratres
 8 semifer Herculeo vulnere nexæ cladis
 9 perfidus Ixion sequitur vertente rota se
 10 exoptata diu Tantalum unda fugit
 11 jugera tota novem Titius sub Tartara tristis
 12 occupat, infestus pectora vultur edit,
 13 tu quoque pendebis fidei violator honestæ
 14 qui cum perfidia vertis amicitiam.

P_4 v.1 Audes, semivir, impudenter audes
 2 deridere virum, novem sorores
 3 cui totos Heliconius liquores
 4 plenis faucibus ebibisse justum
 5 virtutis pretium dedere sacrae
 6 et quis improbe, vinolente, inepte

7 inclusa tumidus superbia, quis ?
 8 Objectas sibi luminum tenebras
 9 quid si libera traditur voluntas.
 10 Quamvis Argo oculatior sis ipso
 11 imprudens adeo quis, has tenebras
 12 non optet magis, ac tuos ocellos.

PONS LIVISONIS.

P_5 v.1 Pons ego sum, fluvius Livison, mihi Fannius idem
 2 qui large decimas praebuit auctor aquas

AD BERNARDUM.

P_6 v.1 O cui Pieriae vigilant, Bernarde, sorores
 2 excultis siquid creditur ingeniis
 3 libera jam obliquo calami tua carmina tractu
 4 fama per Etruscas concinit ire vias
 5 jamque Etrusca legit pubes primordia fontis
 6 a quo Romani Tibridis unda fluit
 7 atque ortus, o Arne, tuos et pectora matris
 8 saeva pharetratae vulnera passa deae
 9 nos tibi ab unguiculis juncti, proh summe deorum,
 10 ultima plebeii funeris umbra sumus
 11 ut tamen utrumque est resoluta ligamina nodo
 12 nectantur rursus simpliciore, manu.
 13 Porridge : siqua fides, vigilati, carmina libri
 14 verum conspicuae pignus amicitiae.

DE CINAEDO PLEB.

P_7 v.1 Aspice compositis gradientem passibus illum
 2 quem toga funeribus digna colore tegit,
 3 cujus et in digito micat annulus unus et alter
 4 verticeque in summo coccinus ardet apex,
 5 candida cui late et mensuram egressa virilem
 6 magno fine tegit cesaries humeros :
 7 nobile credideris genus et praedivitis aulae,
 8 at quantum est superi non reticenda loqui.

IN PORNICUM.

P_8 v.1 Ohe, falleris impudicus ohe !
 2 Nostros diffugiens minans ocellos
 3 quae nec Phallaris impius maligna
 4 arte exercuit in tyrannicidas.
 5 Cui non terriculum horridum tremendum
 6 cui non ridiculum tumens cachinno
 7 qui te noverit intuens ad unguem
 8 ohe, falleris impudicus, ohe.

IN EUMDEM.

P_9 v.1 Vestem aurum, gemmas, argenti pocula et auri
 2 praedia magna domos, Pornice, solus habes
 3 vestem purpureis Seres quam mittit ab undis
 4 aurum quod flavi portat arena Tagi
 5 gemmas extremo lectas orientis ab ortu
 6 pocula Praxitelis effabricata manu
 7 praedia vomeribus quae dives Apulia versat
 8 et qualis Phoebi dicitur esse domos :
 9 haec tu solus habes, sed habes non omnia solus
 10 cum tibi sit culus, Pornice, cum populo.

AD PAULUM.

P_10 v.1 Elata tumidus superbus asper
 2 nuper praedominantis incola urbis
 3 incedis facie, proterve Paule,
 4 tamquam nobilium prior virorum
 5 ex summo traheret genus tonante
 6 nunc imum pater incolens profundum
 7 ac frustra, superum vetante rege,
 8 Titanum revocas manus ad arma
 9 in campos, iterum timente caelo
 10 Phlegraeos ; iterumque Olympon Ossae
 11 imponis super adjacente Pindo.
 12 Et divos quasi laeseris parumper
 13 illis Pallada provocas ocellis
 14 te quis aspicit illa, non Apollo
 15 securus vacat. A superbiente
 16 nunc et Calliope suos honores
 17 aegre vendicat, ac novem sorores
 18 quin et Dardanio datum Cytherae
 19 pomum iudicio magis decorus
 20 instas praeripere aequa tangit omnes
 21 haec injuria caelites Beatos
 22 ah tandem improbe desinas, sacramque
 23 naturam abstineas proterviore
 24 impugnare animo, negat quid audes
 25 cum vix ex humili grues pavescens
 26 se tollat breve corpus, indecora
 27 damnatum facie : nigro colore
 28 torto lumine, cum minetur usque
 29 instantem caput hinc et hinc ruinam.

DE LAURENTIO M.

P_11 v.1 O quis caelicolum numine dextimo
 2 nascenti tribuit se tibi praesidem
 3 vitae praesidium et dimidium meae
 4 an qui terrifica fulmina Juppiter
 5 dextra conjicit e sidereis polis
 6 aut de Pierio vertice Delius
 7 protexit rediens omine prospero.

8 An sacro implicitus tempora pampino
 9 Indorum domitor. Tigribus asperis
 10 evectus geminos arduus ad polos
 11 armentive dolo raptor Apollinis
 12 cui serpentigero dextera lucida
 13 ornatur baculo laevaueque tibia
 14 aut quae de patrio vertice protinus
 15 sublimes exsiliit casside fulgida
 16 sacratis clipeum cincta draconibus
 17 Pallas Gorgoneo lumine, seu Jovis
 18 conjunx atque soror ; sive superbiens
 19 per silvas variis Cynthia belluis
 20 prostratis ; numero mixtaque virginum
 21 ingens progreditur cernua per nemus
 22 aut cui diva Paphos sub dicionibus
 23 mitis caeruleis edita fluctibus
 24 paret, flammifera cui face filius
 25 ignes heu miseris implicat ossibus.
 26 Non uno satis ad nobile corporis
 27 Exsistente deo sufficiens decus
 28 incertum generat bella negotium
 29 convenere simul Juppiter et dei
 30 concordique animo praeside nasceris
 31 divum concilio munereque omnium.

AD JOH. BAPT. RINERIUM.

P_12 v.1 Fallor ? An octonis ubi jam ter paene diebus
 2 abfuerim quaeris ? Certe seu denique quaeras
 3 assueto de more memor. Seu frigidus aegra
 4 mente abii, gratae peragam mea munera dextrae
 5 est locus ad decimum lapidem, Florentia qua se
 6 tollit in Eoas partes, de nomine prisco
 7 Cynthia vallis, eam corrupta voce parentum
 8 Cynthoam indigenae vallem dixere nepotes
 9 haec vacuum curis genialia tempora agentem
 10 me tenet ora ferax ; studiisque placentibus ultro
 11 sollicitat variatque vices speciosa voluptas.
 12 Nam modo cum purus radiis effulxerit Eos
 13 protinus ad lituum vicinia cogitur omnis.
 14 Surgunt dispositis per colles retia vallis,
 15 cinguntur subita condensae indagine silvae.
 16 Nare sagax it turba canum, rostroque represso
 17 per secreta celer nemoris volat, horrida caelum
 18 voxferit, allatrans dederit si signa Melampus
 19 inventae per lustra ferae subit asper ubique
 20 clamor, et ingenti resonant nemora alta boatu
 21 erumpunt latebris lepores capraeque fugaces
 22 impulsuque canum et magno clamore virorum
 23 praerapido timidae furiunt in retia cursu.
 24 Laeta domum praeda denso redit agmine pubes
 25 at modo nocturno rutilans cum Delia caelo
 26 fulxerit, observata lepus dat sanguine poenas
 27 sic caprae leporesque cadunt. Sed semper in armis
 28 non erat Aeacides bello durante nec Hector

29 scimus ; at interea positum regionis et agri
 30 ingenium spectare vacat, ritusque locorum,
 31 est aliquid novisse locos causasque locorum
 32 vile putas referam, Panchaeos vidimus agros
 33 aque Parhetoniis circumdata collibus arva
 34 sacraque Latonae fustigia Cynthia proli
 35 et quae sanguineo sub nomine nascitur Aemam
 36 jamque furorigenum galli de nomine fontem
 37 nomina carminibus sacrae celebrata poesis
 38 tum quae Colchiacos Helenen superare furores
 39 Medeae putat esse parum saevissima mater
 40 dum procul urbanae fugimus fastidia gentis
 41 haec sunt quae nostros mulcent spectasula visus
 42 jamque vale memorique tuum me corde teneto.

DE VICTORE.

P_13 v.1 Quae te victorem dixit male sedula mater
 2 possit judiciis illa perire suis,
 3 ut quae coctilibus Babylonida moenibus urbem
 4 construxit nati deperitura manu,
 5 si modo vincendi fato data nulla potestas
 6 victorem vel vi vel prece vel pretio.

DE PORNICICO.

P_14 v.1 Non dicam rogites, licet perenne.
 2 Qui sit Pornicus iste : cujus omnis
 3 crescit nominibus meus libellus.
 4 Quem molli toties brevem capillo,
 5 torto diximus indecorum ocello,
 6 informi facie, nigro colore,
 7 obliquoque pedes gradu moventem,
 8 pictum feminea quasi e caterva,
 9 cerussa, minio genas nigrantes,
 10 intentum ordine ne capillus unus
 11 discedat posito levique flatu
 12 impulsus seriem subinde turbet.
 13 Aut ne ventivago parum venusti
 14 vultus pulvere leniter tegantur,
 15 torva fronte virum licet gerentem
 16 mollem mollitiem cinaedulorum.

AD JACOBUM.

P_15 v.1 Curae quot mihi sint, Jacobe, quaeris.
 2 Ipsum tot quot habet caput capillos.
 3 Quot fluctus mare turbidum procellis.
 4 Quot bruma pluviis humus madescit.
 5 Quot pisces pelago natant in alto.
 6 Et quot litora possident harenae.
 7 Quot silvae foliis teguntur altae.
 8 Et quot ver violas habet rosasque.

9 Quot fruges rapido metuntur aestu.
 10 Quot nigris habitatur Orcus umbris
 11 quot caelo volucres volant aperto.
 12 Et quot fixa polo putantur astra.
 13 Et ne te teneam diutius ? Quot
 14 pedicat pueros Politianus.

AD JOHANNEM BAPTISTAM RINERIU.

P_16 v.1 Me mea rura tenent gelidas quae signat <..> Arctos (vers lacuneux)
 2 nonus ab urbe lapis. Regionis nomina quaeris :
 3 Mucellana vocant durati rura coloni ;
 4 ipse locus, si forte locum cognoscere cordi est.
 5 Porciliana suis de nomine dicitur. Atqui
 6 si causas quis rure morer petis, ordiar, et si
 7 ex te nosse potes tempus quid poscat et aestus.
 8 Decutitur rigidis Cerealis messis aristis,
 9 utile opus, nec non mixtum dulcedine. Dulce est
 10 alterna in numerum tollunt cum verbera duri
 11 agricolae, alternos teritur quibus area pulsus
 12 audire. Atque oculis spicis quae desilit alte
 13 cernere sacratam Cererem paleasque volantes.
 14 Et qui purgatus frumenti surgit acervum.
 15 Has tibi habe, et merito video te dicere tecum
 16 "Quaeso voluptates, et plenis faucibus hauri."
 17 Ne fallare tamen feriatis ista diebus
 18 despectare vacat. Rutilantem lampada Phoebus
 19 cum procul extulerit festiva luce coruscus
 20 protinus immenso passim surgentia campo
 21 mille voluptatum genera expanduntur ? An acri
 22 delectere canum cursu, atque indagine saltus
 23 cingere : dant capreae lepores, dant gaudia cursus
 24 sive per immensi nemoris quae plurima ramos
 25 praeda volatilium latitat placet, erige vallos
 26 fallentemque oculos volitantibus objice linum
 27 dat praedam : casses modo tende protervula perdix.
 28 Haec eadem volucres pedibus qui corripit uncis
 29 accipitri, extremas, fuso dat sanguine, poenas.
 30 Dant captae laqueis, protento vimine, passim
 31 ficedulae. Centum poteris variare figuras
 32 aucupii. Parvo sublimis noctua trunco
 33 vafra volatilibus de se ludibria praebet.
 34 Illita per saepes tenduntur vimina visco.
 35 Callidus et foliis et flatu sibilat auceps.
 36 Sed neque Carpathio numerabis in aequore fluctus.
 37 Nec quot apud Libyen vento turbentur arenae.
 38 Aucupii species mihi sic comprehendere non est.
 39 Sunt etiam fontes et flumina montibus istis
 40 fluctibus assiduis et piscibus apta ferendis.
 41 Hic quodcumque genus retis per longa paravit
 42 saecula, mens hominum divino provida nutu,
 43 sedulus haud summa frustra madefeceris unda.
 44 Est quoque non tenuis siccato fonte voluptas
 45 arenti pisces salientis cernere terra
 46 et mox amoto redeuntis obice fluctus.

47 Adde his quae proprio celebrantur tempore sacra.
48 Turpe putant epulas non omni tradere turbae
49 agricolae ? Cum sacra sibi celebranda perenni
50 attulerit voto redeuntis circulus anni
51 rustica in assueto procedit mensa paratu
52 distinctis variata cibus. Sedet ordine longo
53 turba vorax, rabidoque ingurgitat ore culullos
54 hircinaque avidam manibus mentoque perunctis
55 carne replent alvum, juxta numerosa ministrat
56 villosa spectanda manu, vultuque rubenti
57 turba epulas. Hunc hircina nunc lacte recenti,
58 nunc quae mixta ovis conditur aromate multo
59 lactea, nobile quid mensarum et grande, placenta
60 distinguit mensas. Cum nasum emunxerit, illa
61 illa, eademque manu, sapiunt quae fercula libat
62 hoc inter semet celebrant convivium ritu.
63 Ast ubi jam rabies infausti pressa Barathri
64 constipata cibus nondum satiata quierit.
65 Itur in antiquam silvam, qua maxima late
66 prata patent nemorum frondentibus abdita ramis
67 illuc diversis coeuntes partibus orbis
68 conveniunt, nullo discrimine femina amanti
69 juncta viro, longos audit quos cantat amores,
70 festa ubi ridicula cinxerunt prata corona.
71 Grande nefas siquidem est, atque indelebile crimen
72 non dextra laevam premere contingere amantis
73 intonat una prior stridenti cantica voce
74 balanti comitata viro, mugire putares
75 hinc tauros illinc, damnosas stridere porcas.
76 Nec ubi desierit ingenti vasta tumultu
77 turba sonans repetit, quicquid modo dixerit illa
78 nec credas variare modos numerosve canentes
79 sufficit unius vocis modus et tonus illis
80 per totam quam longa diem nec sufficit illis
81 cantando quam longa diem ; nec sola voluptas
82 nec datur. Est etiam qui tympana pulsitet, et qui
83 cymbalia nec cessant arguto tibia cantu
84 nec tuba. Lascivo saltat conjuncta Batillo
85 agrestis Thymele et crebro consumit alutas
86 verbere. Certatim saltat super alta Batillus
87 sidera, non dextrae parcit non ille sinistrae
88 fertque refertque pedem multoque volumine gyro
89 insinuat de more patrum. At si forte protervus
90 saltantem quisquam turbaverit arte puellam
91 insonat omne nemus clamoribus. Arma refigunt
92 scuta tenent laevis, immensis ictibus aer
93 percutitur, pereunt passim verbisque minisque
94 mille homines ; demum confecta pace quiescunt
95 et nullo plerumque mero. Cum Delius imo
96 Oceani ardentes madesccerit aequore currus,
97 mensa dapes iterum magno porrectat acervo.
98 Pars fugit inde domum spatio quae distat iniquo.
99 Pars iterum cantus nondum satiata per omnem
100 producit noctem. Ac demens vix luce propinqua
101 desinit, et longum cantando lassa quiescit.
102 At miser et Cereris et laeti munere Bacchi

103 consumpto, qui sacra suo de more colonus
 104 fecerit (o extrema hominum dementia) tristi
 105 pane, famem miseram reliquae per tempora vitae
 106 vix levat, arentemque sitim fluvialibus undis.

AD ANG. POLITIANUM.

P_17 v.1 Si Ganymede deum major fit Juppiter, ipso,
 2 Angele, tu liquido tu Jove major eris.

FOSSAE EMPORII.

P_18 v.1 Aspicias haec subita circumdata moenia fossa
 2 quae sextus decimus signat ab urbe lapis :
 3 hoc est Patanidae decus immortale Johannis
 4 qui terram bobus eruit arte nova.

INSIGNE TRIUM CASSIDUM.

P_19 v.1 Tris galeas Paridis donum, exuviasque dearum
 2 aspicias : has habuit Juno, Minerva, Venus.

AD NALDUM NALDINUM.

P_20 v.1 Nalde, decus nostri venerandaque gloria saeculi
 2 ingenium siquid doctaque corda valent,
 3 accipe prima meae cupido libamina mentis
 4 scandentis Cirrhae culmina ad alta gradu
 5 quae rudis ignota primaevo flore juventae
 6 lima Castalius trivit ab arte calor,
 7 quis ego sollicita, et multa vigilata lucerna
 8 ingenii stimulum carmina sacra peto,
 9 carmina Gorgonei pleno quae fluminis haustu
 10 dant tibi Thespiades Thespiadumque parens,
 11 ut, duce te, Aonii summa ad fastigia montis
 12 tollar et e gemina laude superbus eas.

13 Et si nulla mihi tecum communia sanctae
 14 tempus ad hoc fuerint pignora amicitiae
 15 vel tua me virtus, studiorum parque voluntas
 16 raraque mirifici nobilitas animi
 17 jam detrita situ stimulis egere volentem
 18 rursus Apollineo subdere colla jugo
 19 ut quos absentes voluit dea jungere jungat
 20 non defecturo foedere sancta Fides.

21 Quam sibi fatidicus votis deposcat Apollo
 22 candidior nivibus est tibi caesaries
 23 frons nec lata nimis nimium nec longa brevisve
 24 grata colore suo est grata supercilio
 25 quos Venus et volucer cupiat cum matre Cupido
 26 sideribus similes fronte micant oculi

27 purpureus ridet nasus frontemque serenat.
 28 Infelix quem non carperet invidia
 29 quasque juventa genas et quae velit ora venustas
 30 divorum cuivis aemula habet facies
 31 omni perspicuo conjuncta est gratia mento
 32 parvaque de modico labra rubent minio
 33 stant ebori similes tenui discrimine dentes
 34 et micat e parvo plurimus ore nitor
 35 dulce repercusso lingua modulante palato
 36 vox sonat Hermaeo dulcior eloquio
 37 ipsa teres spatio sese gula porrigit aequo
 38 quam sibi venatrix Delia percuperet
 39 lati humeri, latum pectus, mollesque lacerti
 40 longa manus, teretes ungue bona digiti.
 41 Exiguo medium gyro sed balteus ambit
 42 ilia dum justo lata tument spatio.
 43 Mollia lascivo crura exsultantia ductu
 44 divinum incessu nescio quid redolent
 45 pes brevis, et quaenam sub veste latentia dicam
 46 concedat Venus his et Puer Idalius.
 47 Omnibus his moveor quis enim tam ferreus esset
 48 istorum vel quem singula non moveant ?
 49 Qua tamen haud ulli te posse placere putares
 50 hac una, fateor, tu mihi parte places.

51 Qui mare qui terram quique aera miscuit igni
 52 terrificans animos peste, cruore, fame,
 53 pendulus, exustus, vento jactatus, et undis ;
 54 praeda jacet terrae, et aeri, et igni, et aquae.

55 Des licet et cineres ventis et des licet undis
 56 jactatis tumultum ventus et unda dabit.

57 Quid laqueum crudelis adhuc tumultumque negatum
 58 objicis et multo membra perusta rogo.
 59 Omne genus leti puncto concluditur uno
 60 victaque supremo vita dolore fugit
 61 absumpsit gelidos ignis generosior artus
 62 sordidane obscenis vermibus esca forent
 63 excipiunt cineres venti fluviisque tepentes
 64 quid facis ? Est aliquis et mihi id orbe locus.
 65 Sed quoque tu moriere ; ego, te pereunte, superstes
 66 ingenii vivam nobilitate mei.

IN CATONEM PRISCUM

P_21 v.1 Rusticus es, similisque tuis, Cato Prisce, libellis
 2 ingenio durus, durior eloquio
 3 o pereas, quod cuncta mihi dare rura nequirent
 4 abstulit auspiciis pagina dura tuis.

AD LYAEUM.

P_22 v.1 Quid mecum tibi corniger Lyae,

2 quid mecum tibi ? Quid meis benigne
 3 exceptus laribus, domo, cubili
 4 quid fastigia quid superbus arcis
 5 supremæ petis ? Improboque fastu
 6 per fas perfidus et nefas proterve
 7 conaris dominae jubere fronti ?
 8 Haec est hospitio fides recepti ?
 9 Hoc nostræ pretium benignitatis ?
 10 Has hospes mihi gratias rependis ?
 11 Has reddis mihi munerationes ?
 12 Ingratissimus omnium virorum,
 13 quin jam desine si sapis, volensque
 14 inceptum facinus scelusque mitte.
 15 Edico tibi ni cito quiescis,
 16 per jus hospitii fide tributū
 17 quo tu tramite veneras abibis.

P_23 v.1 Quid faciam, quæ me teneant spectacula rerum
 2 quaeris, et urbanis quam se Rhamnusia rebus
 3 praebeat, et vacua quidnam jam civibus urbe
 4 moliar ; aestivæ solitus dulcedine villæ
 5 prima aestate frui, vixque adventante reverti
 6 frigore, cum senior Phoebo propiore calescit
 7 Phollyrides, pluvioque fremunt cava nubila caelo.
 8 Publica non ausim temere committere chartæ.
 9 Nec si forte velim comperta tenemus ad unguem.
 10 Inscius ignota tamquam advena versor in urbe
 11 plurimus in studiis et clausa solus in aede,
 12 unde sit ut totam fama vulgata per urbem
 13 saepius ignorem nedum consulta senatus.
 14 Quæ rudis in triviis passim plebecula narrat
 15 non ea sunt tanti calamo ut dignanda putarem.
 16 Vel si forte aliquid te dignum dicitur, adsunt
 17 qui referant alii, certumque in tempore reddant
 18 talia non igitur circumferar. Ordiam autem
 19 texere privato coeptam sub tegmine telam.
 20 Quaque satisfieri multum tibi parte putabo
 21 hac ferar et grato laetum te carmine reddam.
 22 Quod non rura petam mirari desine : causa
 23 deficit, inveni quaesitas urbe Camenas
 24 hac ego virginea comitatus saepe caterva
 25 per nemora et saltus Heliconis deferor altos.
 26 Hæ mihi Dardaniam nantem super æquora classem
 27 Idaeumque Parin Spartana ad litora ducunt.
 28 His pastor Phrygius nemorosaque dicitur Ida.
 29 His regina deum sceptro insignitur eburno.
 30 His fera terribili protexitur aegide Pallas.
 31 His Venus insultat victis laudata duabus.
 32 Hæ mecum Argolicas blande populantur Amyclas
 33 praedonemque trahunt iterum tranquilla per alta
 34 usque sub Iliacos rapta cum conjuge muros.
 35 Nec tamen hæc musis tantum debere fatemur,
 36 (quamvis Aonii sublimes vertice montis
 37 aurea Castalio mihi pocula fonte ministrent)

38 quantum, qui trepidas animi moderatur habenas
39 talia non parvum scribenti exemplar, amor.
40 Qui tamen hoc fiat jam jam accipe. Noster amicus
41 ille Cupidineis toties expertus in armis.
42 Ille lyra pueros solitus sollertius aequo
43 illicere : extremo demens insanit amore.
44 Cujus, ais ? Non est nostrae provincia pennae
45 prodere. At insanit, tectoque exaestuat igni
46 nec pulchri dicam pueri teneraeve puellae
47 quod tamen hoc cumque est nolim licet edere aperte.
48 Ex te nosse potes, si de quis saepe locuti
49 urbe sumus, memorem servans in pectore sensum.
50 Hinc nos quas Helenae fundat Paris ordine voces
51 discimus ; et quales vultu arridente loquatur
52 blanditias, quid dona valent, quid temporis usus
53 quid mentita diu lasciva libera mensa
54 ebrietas. Dictoque sales nutuque procaces.
55 Hinc animi servare modum quem debeat. Et quis
56 callidus insidiis quibus artibus improbus uti.
57 Praecipue motus animi variosque tumultus
58 est aliquid servare notisque agnoscere certis.
59 Excuties per mille vias quae vota silenti
60 corde latent ; sensim variis sermonibus usus
61 videris ardentem vix jam consistere Adonin
62 captato sermone canum. Male temperat ardens
63 ad nomen cervi Cyparissus. Nomina disci
64 audierit puer Oebalius, vix brachia demens
65 continet audito Danae laetabitur auro.
66 Ast epularum avido si forte jecurcula narras
67 faucibus aspicias vacuis labra lambere lingua.
68 Denique non uno mortales vivere voto
69 ut par est. Aliquod primum cuicumque tenetur
70 huic equus aligera signans vestigia planta
71 gratior, et jussis addictus et aptus habenis.
72 Martius huic, nullisque inhibens placet ora lupatis.
73 Horrificisque fremens hinnitibus. Horridus, asper.
74 Hunc fora terrifico delectant bella tumultu
75 armataeque acies et terra cruore rubescens.
76 Illum laeta quies tranquillaque tempora vitae
77 Pieriusque tenet studiis florentibus ardor.
78 Ille canum densas indagine cingere silvas
79 gaudet et impulsos agitare in retia cervos
80 illi cura novis avido captare volucres
81 artibus, et laqueis et lento fallere visco
82 dumque volatilibus tenui quis retia lino
83 tendit, et accipiter perdicibus imminet uncis
84 unguibus. At vitreas alter piscator ad undas
85 aut tenuem caeco verrit sub gurgite lino
86 aut jacta tumidum funda diverberat amnem
87 huic nocturna placent lauta convivium mensa
88 scortanti, variisque epulis genioque vacanti
89 incertusque (nefas) talorum jactus, inertis
90 argumenta animi, et ludentibus alea fallax.
91 Illum Puniceae vestes et serica hiantem
92 vellera, fulgentisque trahunt spectacula gemmae,
93 ille animi servare modum, sortemque prementis

94 fortunae impatiens animo jam concipit orbis
 95 imperium solioque furens considerare regni
 96 ardet. Et ingenti curarum exaestuat igne.
 97 Est etiam quem cura tenet cognoscere quicquid
 98 Autololes Indique gerant atque ultima Calpes
 99 et qui dimissis mediis extrema pererrat
 100 exiguo nuper populatus milite Gallus
 101 Italiam. Quid quisque gerat quoque ordine vivat.
 102 Est cui rura placent, et lati jugera campi
 103 arboribusque frequens, et vitibus ordine postis
 104 laetus ager. Qui classe libens Neptunia verrat
 105 caerulea mutatis visurus mercibus olim,
 106 si sua fata sinant, patriam dulcesque penates.
 107 Quem sua delectet laus unica. Denique rerum
 108 quot species tot vota virum, tu Callidus ergo
 109 omnia delibans sensim varieque figurans
 110 his quasi tormentis latitantia pectore vota
 111 elicies at deinde tibi bene consule ne quo
 112 deficias. Magnumque tuis te perforce verbis
 113 quid faciat qui se verbis non ditat et auget ?
 114 His tu Priamide saeptus cautusque Lacaenam
 115 irretire para. Tecumque ad magna volentem
 116 Pergama duc. Poterunt aliquid si doctor et artes.
 117 Forsitan Iliaca quo tempore pastor in Ida
 118 regia pascebas silvis armenta sub altis
 119 hae poterant aliquid vel cum Spartana carina
 120 litora, et Argolicos tetigisti remige portus.
 121 Pegasis id certe, quaeque aspernata maritum
 122 deseruit patrios demonstrat adultera muros.
 123 At nunc pro doctis solum, inquit, artibus Aurum,
 124 omnis in hoc ipsum spes inclinata recumbit
 125 hoc omnes unum cupiunt, venerantur, adorant.
 126 Optimus hoc quocumque loco vel tempore solum
 127 conciliator adest, nulli non gratus. Ad hujus
 128 omnia magnificum nutum placitumque geruntur.
 129 Quid queror ? Haec eadem stabat majoribus auri
 130 sacra fames. Pluvio Danae concepit ab auro.
 131 Auro Neptuni fundantur Pergama dextra.
 132 Auro discordes Juno, Tritonia, Cypris
 133 iudicium Paridis Phrygia subiere sub Ida
 134 forsitan et fulvo devicta est Tyndaris auro.
 135 Sed quid ego haec nimia versus dulcedine captus
 136 prosequor ? Ingratum dextrae calamoque laborem
 137 et tibi fortasse allaturus taedia. Tempus
 138 demere colla iugo, et tacta consistere meta.

AD AMICUM.

P_24 v.1 Oblitus ne forte tui, carissime, credar
 2 omnium amicorum, celeri dictata Camena
 3 haec tibi sub rudibus mandatur epistola verbis.
 4 Scilicet est aliquid quocum versere : recondor
 5 auditum, Claudio siquis communicat olim
 6 claudicat. Agricolis igitur permixtus, ab illis
 7 nescio quid sensim contraxi improvidus aevo

8 rusticitatis, habes quo me tueare, maligne
9 legerit hanc siquis et me damnarit in illa.
10 Perpetua stat mole rigens, et vertice celso
11 aetherias sese Sinais mons tollit in auras.
12 Cujus in extremo cingentibus undique silvis
13 Christiparae stant templa jugo. Hic qua vergit ad austros.
14 Hesperioque videt stabulantem gurgite currum.
15 Paulatim molli pronat fastigia clivo.
16 At qua perpetua canas nive prospicit Alpes
17 horrentisque domos Boreae, septemque triones,
18 quaque videt septem divisum in cornua Nilum,
19 praeceps exesis radicibus imminet arvis,
20 nimbosam attollens nemoroso vertice frontem.
21 Hinc vetus ille meis super est conterminus agris,
22 quos nunc frondosae nimia dulcedine villae
23 ruris et irrigui detentus amore frequento,
24 laetus agris, laetus fido comitante sodali,
25 qui studiis ardens aequalibus. Alter Oresten
26 prosequitur Pylades non dispare laetus amico.
27 Hic nos hospitio, digressos urbe Sacerdos
28 suscipit, Hesperias jam, sole cadente, sub undas.
29 Inde meas aedes turrim quae colle propinquo
30 alta sedet petimus, et nocte quiescimus illic.
31 Postera Phoebaeis radiabat lucida flammis
32 orta dies. Subiit mentem superare profectos
33 ardua praecipitis Sinais juga, et ecce sacerdos
34 hospes adest, seseque ducem promittit iniqui
35 tramitis. Aggredimur sublimem scandere molem.
36 Angusto stat calle means et vepribus altu
37 undique saepta latet saxoso semita clivo.
38 Illa quidem primo facilem se praebet eunti
39 ad stadium ; mox praecipiti se tramite tollit.
40 Vadimus, et stricta restantes cuspide vepres
41 truncamus. Nudo trames mucrone patescit.
42 Jam pars quarta viae fuerat post terga relictas.
43 Apparentque viae nusquam vestigia, nedum
44 semita. Praecipiti mons imminet arduus arce.
45 Per tamen et vepres et sentibus invia densis
46 haud cessante manu proficiscimur, ecce repente
47 ingens abrupto moles asperrima clivo
48 apparet procul, et vulsa radice minantur
49 jam casura graves immania saxa ruinas.
50 Additur immenso metus et formido labori.
51 Nec vanus timor. Ecce ingenti abscisa tumultu
52 saxa tonant. Rapidoque a summo vertice lapsu
53 ima petunt. Pressos frutices silvamque cadentem
54 cernimus et nitidum nigrescere pulvere caelum
55 conflictuque cavus saxorum accenditur aer.
56 Haud secus ignitos Siculis regionibus Aetnam
57 crediderim eructare globos liquefactaque saxa.
58 Crescit in immensum sudor, complentur hiantes
59 pulvere fauces haustu. Vicitque laborem
60 montis atrox metus, et properantibus addidit alas.
61 Vix tandem fessi summa consistimus arce,
62 tum demum pluvia primo sudore madentes.
63 Hic parva vires mensa firmamus avaris

64 fratribus hospitio suscepti. Frigidus illic
65 aer ; et ardenti cum Sol vestigia cancro
66 fixerit, accensis corpus refovere caminis
67 frigore nubiferi compellitur accola montis.
68 Illic grandaevum cedit cui Nestoris aetas
69 vidimus haud tremulo vestigia figere passu
70 candida barba humeros illi totumque pererrat
71 pectus et extrema texit genitalia cauda.
72 Sors eadem rursus quaedam ad castella profestos
73 insequitur pluviis et ventis aspera obortis.
74 Ergo consulto procul haud discedere ab aede
75 firmatur per prata libet saltusque propinquos
76 errare, et subitos digitis avellere fungos.
77 Aut tremulum liquida piscem captare sub unda.
78 Ast ubi jam reditus animo sententia sedit,
79 digredimur gelidas jam sole bibente pruinas.
80 Illa dies claro fulxit nitidissima caelo.
81 Phoebaeum placide zephyro moderante calorem.
82 Jamque bis undenis stadiis geminisque peractis
83 quem cruces dixere locum devenimus, illud
84 sive quod a ventis cruciatur nomen habentem.
85 Sive quod in partes sese via quattuor illic
86 dividit, atque crucis servat divisa figuram.
87 Terra satis sterilis, fecundaque sponte creatis
88 graminibus, pratisque patens, nulloque calores
89 arbore rejiciens pluvium quae vergat ad Austrum
90 hujus in extremo quasi margine parvula surgunt
91 templa, viatori pluvio gratissima caelo.
92 Hic sese ante oculos partes via scindit in ambas.
93 Altera Faesuleos directo tramite colles
94 ad medium conversa diem petit. Altera ad Eurum
95 obliquum serpens Orodaphnidis applicat arcu.
96 Ergo animi dubios dudum, via visa coegit
97 tectis subire domus, et disceptare quid esset
98 casibus in tantis maturo mentis agendum
99 consilio. Tandem haec animo sententia sedit ;
100 alter ut adducta praetexens lumina veste
101 aggrederetur iter, tali Jovis argumento
102 sensurus mentem. Sensim titubante sodalis
103 it pede, et incerto firmat vestigia passu.
104 Sed quoniam ira deum ? Pluvios contendit ad austros.
105 Ille ubi sublato prospexit tegmine caelum
106 agnovitque deum invidiam et contraria menti
107 fata suae. Tacitus defixit lumina terrae
108 mox exploratis sic est effatus alutis
109 suadet amor, suadet rutilanti Delius orbe.
110 At fortuna negat. Quid tum ? Neget improba prorsus
111 ire vel in certam mortem libet. Haec ubi fatus
112 velox Eoas sese convertit ad oras
113 praecipiti similis capreae, quam Gallicus urget
114 jam rostro proprio canis gressuque citato
115 arva legit. Sequimur, passuque incedimus aequo
116 est tumultosa procul Vulturini obnoxia flatu
117 et Cereri indocilis tellus, quam signat ab ipsa
118 septimus urbe lapis. Nomen regionibus illis
119 parva dedit montis non alto vertice moles.

120 Quamlibet Argolico dixisse orodaphnida verbo.
 121 Huc ferimur, faciemque loci speculamur et agri
 122 ingenium. Rara tellus obtexitur umbra
 123 aedificatori gratum allatura perenne
 124 obsequium. Officio lapidum quibus omnis abundat
 125 progredimur summaque jugi consistimus arce.
 126 Hic templum sedet et parvo jacet area campo.
 127 Sed lauri nusquam, nusquam quaesitus amicus.
 128 Aggredimur portam templo pulsare propinquam
 129 terque quaterque manu sublato malleus ictu
 130 incutitur. Dominumque domus clamore vocamus.
 131 Ecce ex obliquo vox exaudita : "Quis, inquit,
 132 ecquis adest pulsatque fores, circum undique tollo
 133 lumina nec quisquam verborum apparuit auctor,
 134 ast iterum vox illa sonat." Consurgimus. Ecce
 135 improvisus adest teneris mihi notus ab annis
 136 Carlus et hospitiiis ultro suscepit avitis.
 137 Huic ego pauperiemque loci seseque pudenter
 138 excusanti inquam : "Non haec mihi desine oportet
 139 dicier. Haud hodie primo jejunia solvo
 140 vel solvam. Parvo vires natura resumit
 141 satque superque mihi grata fore fronte receptum."
 142 Sic variis sensim sermonibus omnia lustrans
 143 incedo, et visu varia oblectamina sumo.
 144 Illic ingenti puteus subit ima barathro
 145 Tartara, difficiles haustus dans altus aquarum
 146 cui cedat calidae qui dicitur esse Syenae.
 147 Hinc dicto acceptoque vale discedimus. Et jam
 148 Delius ex aequo meta distabat utraque.
 149 Acceleratur iter, celerique per ardua passu.
 150 Saxa, per et colles exosisque invia ripis.
 151 Ad Borean tandem stadiis quod distat ab urbe
 152 quattuor hospitio juvenis laetamur amici
 153 consumptoque die variis sermonibus. Inde
 154 urbem digressi petimus patriosque penates.

AD FEBREM.

P_25 v.1 Quid tibi cum teneris febris audacissima membris ?
 2 Jam potes aeternos vel violare deos.
 3 Heu quaenam miseris mortalibus invida tantum
 4 sanxerunt nocuae fata licere tibi.
 5 Non te purpurei tangunt mea numina vultus ?
 6 Non aetas Stygios apta movere deos ?
 7 Hoc poteris macie corpus tenuare nefanda ?
 8 Has pallore genas tingere purpureas ?
 9 Dii precor, o si qui caelo mortalia curant,
 10 si qua usquam Pietas hoc prohibete nefas.
 11 Vertite nunc si quas admissio crimine poenas
 12 poscitis, in me me vertite tela precor.
 13 Aut si forte mori fixum juvenilibus annis
 14 hora precor miseros auferat una duos.
 15 Vel potius quod magna decet dare numina munus
 16 omnis ab innocuo corpore langor eat.

DE MELANTHO.

P_26 v.1 Tantillos solitus pueros agitare Melanthus,
 2 nutricem quales pellere lacte pudet.
 3 Damnatis credo primaevi temporis actis.
 4 Nunc alio coepit vivere consilio.
 5 Namque bis undenos juvenem qui transigat annos
 6 deperit ? Hunc possis dicere jure virum.
 7 Hinc ego jamdudum quid suspicer ambigo : sunt qui
 8 hoc factum turpi cum ratione putent
 9 scilicet occepere tibi prurire mariscae,
 10 et juvat esse eodem femina virque toro.

DE EODEM.

P_27 v.1 Credite Neptuni mutatam munere Caenin
 2 Martia protectis arma tulisse colis
 3 quodque patris rabiem Dryopeis imagine versa
 4 non falsa pretii saepe levarit ope.
 5 Credite Tiresiae tactis serpentibus olim
 6 mutatam sexus esse bis effigiem
 7 vidi ego qui nullis violatis anguibus : horae
 8 momento fieret femina virque brevi.

EPITAPHIUM JOHANNIS. N.

P_28 v.1 Qui patriam tristisque fame belloque levavit
 2 cum quateret Latii Martius arva furor
 3 hic jacet exemptus mortali labe Johannes
 4 reddita terra sibi est, spiritus astra tenet.

IN EDENTULUM.

P_29 v.1 Dentibus empticiis e cornibus uteris Indis
 2 ora laboratum non sua sentit ebur
 3 usque adeone pudet patulis ostendere labris
 4 gingivas uno dente carere tuas
 5 falleris errorem naturae errore repellens
 6 verum de falso crimine crimen habes.
 7 Desine sarcitis velle integer esse videri
 8 dentibus, et mutilus vivito simpliciter.

AD BIBLIOPOLAM.

P_30 v.1 Quid sibi pallenti facies vult aemula morti ?
 2 Quaeque ferum torva lumina fronte micant ?
 3 Et quae crebra cavo suspiria pectore ducis.
 4 Quaeque insueta novo justitio ora silent.
 5 Grataque nunc primum domi, mansio tristis ? Et atrae
 6 jucundum solo tempore noctis iter ?
 7 At dudum non talis eras. Meminique videre

8 pingue renidentem corpus habere cutem
 9 unde repente novi mores maciesque colorque
 10 dispeream si non Bibliopola peris.

EPITHALAMIUM

P_31A v.1 Pronus Atlantiaco rutilantes aequore currus
 2 condidit, et celerum cursu devectus equorum
 3 opposito lustrat Titan Antichthonas orbe
 4 vesper adest Phoeboque prius caelata propinquo
 5 apparent medio fulgentia sidera caelo.
 6 Huc ades Uraniae proles hymenaeae, recenti
 7 flore caput roseaque comas evincte corona.
 8 Taeda maritali splendescat pinea flamma,
 9 ducenda in thalamum teneri nova nupta mariti
 10 octonos decies qui jam transegerit annos.
 11 Jamdudum pictis patuit domus ampla tapetis
 12 grande nitens atramque fugant funalia noctem.
 13 Hic castae lauri et Veneri gratissima myrtus
 14 Arcadiique nemus Panos, nigraeque cupressus
 15 serpentesque ederae, atque abiegno e stipite frondes
 16 mixta corymbiferis praetexunt atria sertis
 17 pomifer Alcinoi quibus intertextitur hortus.
 18 Aurea regifico splendescit mensu paratu.
 19 Jam docti caelata manu non una Myronis
 20 pocula flaudenti diffulgent eminus auro.
 21 Tum modus argento nullus. Quas Mentoris artes
 22 aspicias in pateris. Concedat prodiga regum
 23 luxuries Asiae et signis laudata Corinthus
 24 tuque superba tuis quamvis Aegypte sepulchris.
 25 Invitat vario fumans nidore culina.
 26 Jam fluviis praebere manus celerate Ministri,
 27 quos honor aut aetas primos jubet esse ; venite
 28 hic sedeatis, et in primis discumbite mensis.
 29 Hic ex adverso sedeat nova Nupta mariti.
 30 Quid statis Matres verecundaque turba Puellae.
 31 O juvenes, quaenam ista mora est, accumbite mensis
 32 ponantur famuli primae bellaria mensae
 33 mox serie quaecumque sua. Tuceta potentum
 34 esca virum, et pennis pavo pretioque superbus
 35 tum perdix assusque capo pinguesque columbae.
 36 turdique et moriens nimia pinguedine turtur.
 37 Aurea nectareo despument pocula succo.
 38 Quid laetis permixta jocis dicteria cessant ?
 39 O juvenes, lasciva manus, provector aetas ;
 40 vosque, senes, miti soliti juvenescere Baccho.
 41 Da, conjunx, da dona tuae da dona, marite !
 42 Tuque viri nova nupta manu cape munera Turdi
 43 selectas clunes, et dona remitte vicissim
 44 quid verecunda siles spectantibus ima pupillis
 45 vir tuus est, nugae ? Noctis timet illa timorem,
 46 scilicet hoc ipsum. Ridet ? Quid tum, obsecro, ploret
 47 tam bello conjuncta viro. Quantum libet imo
 48 rideat. At qui ploret erit sub nocte silenti.
 49 Sed bibite, et patulos epulis detergite quadros.

50 Diis grates : resonant convivium festa tumultu.
 51 Jam satis exhaustum epularum surgite mensis.
 52 Lascivire libet saltu festisque choraeis
 53 et mediam cantu insomnem perducere noctem.
 54 Dicite legitimos Hymenaeo, dicite versus.
 55 O juvenes, mixtaeque nurus coeatis in orbem
 56 alterius laeva dextram premat. Incipe carmen
 57 una prior. Reliqui repetant quod dixerit illa.

CARMEN

P_31B v.1 Humani generis sator salusque
 2 huc adsis Hymenaeae dexter adsis.
 3 Huic omnes juvenesque virginesque
 4 laudes dicite consonis labellis.
 5 Votivasque deo preces potenti
 6 puro fundite corde, supplicantes,
 7 ut nuptiae facilis novae, viroque :
 8 vitae tempora praebeat secunda.
 9 Humani generis
 10 tu pulcherrimus omnium deorum
 11 idem maximus es sacerrimusque.
 12 Tu caeli residens in arce summa
 13 Saturno prior omnibusque divis,
 14 candenti face nuptialis ignis
 15 ipsi caelicolas polo parasti.
 16 Humani generis
 17 hinc pennis roseis volans, jacentis
 18 telluris petis arva dexter ales.
 19 Ac totum volitans vagaris orbem,
 20 armatus face dexteram jugali.
 21 Et tecum charites simul Venusque,
 22 Risus, Laetitiae, Joci, Lepores.
 23 Humani generis
 24 arridet venientibus serena
 25 aethrae temperies, humusque et uda
 26 omnis germinat herba, floret arvum.
 27 Rident frondibus arbores tenellis.
 28 Exsultant viridi ferae sub antro,
 29 et piscis liquida natans in unda.
 30 Humani generis
 31 te parvi pueri puellulaeque.
 32 Laetis vocibus acciunt, vocantque.
 33 Te propter juvenes, nurusque laetas
 34 festis cantibus innovant choreas.
 35 Incumbunt epulis socrus Patresque
 36 atque omnis tibi gratulatur aetas.
 37 Humani generis
 38 Tu sanctissimus igne nuptiali
 39 humanum socias genus ligasque
 40 tu das nomina sanguinis propinquis.
 41 Per te conjuge laeta degit Uxor.
 42 Tu Matrem facis, et facis Parentem.
 43 Per te Filia dicitur Neposque.
 44 Humani generis

45 mortalis sine te brevi propago
 46 Leto deficeret furente tota.
 47 Te cultoribus absque civitates
 48 praeberent vacuae feris cubile
 49 squalerent fruticosa vere in ipso
 50 duris sentibus arva vepribusque.
 51 Humani generis
 52 At te praeside laetus omnis orbis
 53 felici fruitur peremne risu.
 54 Et nos ergo alacri benignitate
 55 has festas tibi ludimus Choreas.
 56 Uno pectore et ore supplicantes,
 57 ut salvos facias tuos peremne.
 58 Humani generis sator salusque
 59 huc adsis Hymenaeae dexter adsis.

P_31C v.1 O Hymen o Hymenaeae Hymen, Hymen o Hymenaeae
 2 ecce furens juvenum clamat manus hostia circum
 3 o Hymen o Hymenaeae Hymen, Hymen, o Hymenaeae,
 4 huc juvenes huc ferte trabem : coeamus in unum.
 5 Incussique procul procumbant cardine postes.
 6 Quin Domus ipsa patet venientibus, ordine ludos
 7 instituamus, agat festivum Tantalus agmen
 8 jam scutica insequitur subter vestigia prone
 9 reptantis jam mersus aqua ridetur alethes
 10 jamque superscandunt humeros et vertice celso
 11 aurea sublatis tangunt laquearia dextris.
 12 Ecce super genibus curvata fronte sedentes
 13 percutiens veteri renes circumdat aluta
 14 Nestor et effugiens sequiturque fugitque sequentem.
 15 Nox fugit, et nullus ludis modus additur, eia
 16 lusistis satis est, tandem concedite nocti.
 17 Prona polo suadent jamdudum sidera somnos
 18 impotos abigi ; quin hos pretiosa Lyaei
 19 dona cados, et mellitas has sumite baccas
 20 imus et o thalamo coeant feliciter : ite.
 21 Ingredere o thalamum conjux nova, tuque marite.
 22 Vosque alii (vocat hora) prementi cedite somno,
 23 hactenus o Hymenaeae tuo sulcavimus aequor
 24 remigio. Nunc vela novis extendere ventis
 25 urget opus. Tu transtra tuae ne desere puppis.
 26 Non te abigo. Commune deis modo munus agendum est
 27 quos prohibet sprevisse pudor pietasque timorque.
 28 Ergo adsis, Herycina Venus, nunc, deprecor, adsis.
 29 Ut vereor ne forte tuo sine numine noctis
 30 transeat hoc. Prohibe, quaeso, nec tempore tali
 31 desere legitimi socialia federa lecti.
 32 O custos horti, custos rubicunde, Priape.
 33 O custos, audisne, precor. Languere videris
 34 et langues fortasse. Veni securus agendum est
 35 cum medico. Potes hinc quovis aegrescere morbo
 36 nulla quidem merces de te (mihi crede) petetur,
 37 ergo ades, et qualis fueris juvenilibus annis
 38 ede senex veteremque tuum ne pone rigorem.

39 Cum solo est jam sola suo nova Nupta Marito,
 40 nudaque jam strato posuerunt corpora lecto.
 41 Quid refugis mea vita tui pudibunda Mariti
 42 oscula et a tenero disjungis brachia collo.
 43 An dubitas vel forte pudet. Dubitabile nil est.
 44 Cur pudeat, soli sumus et cum conjuge conjunx.
 45 Ergo mane, jussisque tui pareto Mariti.
 46 Quid faciam ? Mea vita, mane. Quid deinde. Quid oro
 47 sic jaceas paulum sublata parte sinistra
 48 in dextrum subnixa latus. Jacet ecce, parata est
 49 altera pars. Restat gravioris cura pericli
 50 indiga praecipui conaminis. Omnis abesto
 51 segnities torporque procul. Nae sperne jacentem
 52 sollicitare manu, et molli attrectare saliva,
 53 si nihil erucae prosunt, Venerisque minister
 54 Bacchus et extremo merces Oriente petita.
 55 Insece blanditias molles lascivaque verba,
 56 illecebrasque ordire novas. Quae singula si non
 57 arrexisse valent : poterunt simul omnia forsitan.
 58 Vicimus arrepta est validis antemna ceruchis
 59 scilicet est aliquid medica fore in arte peritum
 60 jam coit in Venerem complexus uterque vicissim
 61 o mea Vita et Ocelle mens mea sola Voluptas
 62 o custos horti, custos rubicunde, Priape.
 63 O custos audisne precor. Languere videris
 64 et langues fortasse. Veni securus agendum est
 65 cum medico. Potes hinc quovis aegrescere morbo
 66 nulla quidem merces de te (mihi crede) petetur,
 67 ergo ades, et qualis fueris juvenilibus annis
 68 ede senex veteremque tuum ne pone rigorem.
 69 Cum solo est jam sola suo nova Nupta Marito,
 70 nudaque jam strato posuerunt corpora lecto.
 71 Quid refugis mea vita tui pudibunda Mariti
 72 oscula et a tenero disjungis brachia collo.
 73 An dubitas vel forte pudet. Dubitabile nil est.
 74 Cur pudeat, soli sumus et cum conjuge conjunx.
 75 Ergo mane, jussisque tui pareto Mariti.
 76 Quid faciam ? Mea vita, mane. Quid deinde ? Quid oro
 77 sic jaceas paulum sublata parte sinistra
 78 in dextrum subnixa latus. Jacet ecce, parata est
 79 altera pars. Restat gravioris cura pericli
 80 indiga praecipui conaminis. Omnis abesto
 81 segnities torporque procul. Nae sperne jacentem
 82 sollicitare manu, et molli attrectare saliva,
 83 si nihil erucae prosunt, Venerisque minister
 84 Bacchus et extremo merces Oriente petita.
 85 Insece blanditias molles lascivaque verba,
 86 illecebrasque ordire novas. Quae singula si non
 87 arrexisse valent : poterunt simul omnia forsitan.
 88 Vicimus arrepta est validis antemna ceruchis
 89 scilicet est aliquid medica fore in arte peritum
 90 jam coit in Venerem complexus uterque vicissim
 91 o mea Vita et Ocelle mens mea sola Voluptas
 92 o Animae pars magna meae, mea gaudia Conjunx,
 93 oscula da centum, linguaeque intersere linguam.
 94 Ecquid amas me sponsa tuum. Quid tristis anhelas

95 an te aliqua laedo ? Haudquaquam, carissime conjunx,
 96 ipsa tibi cuspis in te conversa minatur.
 97 At quis odor crepitusque meas pervenit ad aures
 98 projectis Hymenaeus abit vasto impete taedis.
 99 Accinxit se hericina fugae, nasumque reducta
 100 occuluit dextra et vultum contraxit. Io, quid
 101 quid fugis. O maneat. Fugit fugiamus et ipsi.

DE BALDULO PARIDE.

P_32 v.1 Totam sollicitus vagaris urbem.
 2 Bis saltem pari singulis diebus.
 3 Intentus Veneri Cupidinique.
 4 Unam nec modo deperis puellam,
 5 uno tempore. Sed quot urbe tota
 6 sunt per nobilium domos virorum.
 7 Servies et enim improbas amores,
 8 et damnas humili loco creatas.
 9 Curae nobilitas tibi perenne est.
 10 Matronas agitare virginesque
 11 vestigas Pari diligens adulter.
 12 In tota domus urbe nulla restat
 13 quam non circumeas, salax amator.
 14 Ipsas lumina figis ad fenestras.
 15 Si quam videris unde fors puellam
 16 centum nutibus innuis strepisque
 17 tercentum jacis exscreationes.
 18 Mentum grande tegens manu reducta
 19 cujus dimidio carere velles,
 20 esses ut facie decorus omni.
 21 Et si quid tibi credimus, puella
 22 nulla est tam tetrica severitate
 23 quam non in Venerem tuam reclines
 24 una ter decies labore nullo.
 25 Aestiva solitus coire nocte.
 26 In toto quoties coire mense
 27 vix conjunx olidae solet capellae.
 28 O renes nimio fluore plenas !
 29 Ferri o mentula durior columna !
 30 Quae non his mulier subacta cedat.
 31 A centum simul in die rogaris.
 32 Centum te cupiunt, precantur, orant.
 33 Quas omnes oculis libidinosi
 34 ex ipsis futuis procul fenestris
 35 at sole Hesperias cadente in undas
 36 concepto coitus gravi calore
 37 ex visis tibi per diem puellis
 38 mutato Pari pallio subintrat
 39 recto tramite publicum lupanar
 40 aut praeputia dextera remulces.

DE TERAMBO ET PARIDE

P_33 v.1 Quarto quoque die vexatur febre Terambus

2 assidua languet febricitate Paris.
 3 Quarto namque die vexat quartana Terambum.
 4 Assiduoque perit tostus amore Paris.

AD BASSUM

P_34 v.1 Quod tibi candiduli suppulsant colla capilli,
 2 nec premit albentes hispida barba genas.
 3 Quod brevis es, tenuique brevi das gutture vocem,
 4 et credi possis eminus esse puer.
 5 Formosum te, Basse, et dignum credis amari.
 6 Et peream si non quod cupis esse putas
 7 unica non reddit pulchrum coma, nec color albus
 8 qualem subducto sanguine corpus habet.
 9 Nec barba caruisse genas juvat arte politas,
 10 ipsa palam facies arguit esse virum.
 11 Quid faciet brevitatis, tenui quid vocula flatu ?
 12 Est aliud credi, Basse, quod esse puer.

AD CANDIDUM.

P_35 v.1 Et puer et formae pulchredine dignus amari
 2 miraris quo te, Candide, nullus amet.
 3 Scis quare te nullus amet quia despicias omnes.
 4 Quaeris amatorem, Candide, primus ama.

AD NYLAM.

P_36 v.1 E nostra rapiens manu libellum :
 2 audacter nimis, et nimis proterve.
 3 Inter nos facis esse suspicari.
 4 Quod te non dubitem volente velle.

AD NEMISCUM.

P_37 v.1 Semel bis atque ter quaterque quinquies
 2 rogatus omnibus, Nemisce, denegas
 3 precesque deficis, minisque ferocibus
 4 tonans repellis, increpas, et arguis.
 5 Vocas nefarium, scelestum, et impium.
 6 Index superbia putat fieri tua
 7 semel repulsus, et bis, et ter, et quater.
 8 Nimis pudicus, et severus, et gravis
 9 videris alteri. Quid hinc ego hauriam
 10 silere non queo nec ut queam volo.
 11 Cum saepius rogatus, et pecunia
 12 avarus tradita prostituas omnibus.
 13 Tuas venire pluris appetis nates.

IN EDENTULUM.

P_38 v.1 Exples empticiis precariisque
 2 veris deficientibus fenestras
 3 oris dentibus et specus patentis.
 4 Imponis misero putas amanti ?
 5 Qui te deperit, omnibusque credens
 6 formosum magis et magis decorum
 7 coniventibus inspicit pupillis.
 8 Imponis sociis sodalibusque ?
 9 Vultu, lumine, naribus, labellis
 10 te ridentibus et tuos molares.
 11 Imponis populo tibi obvianti ?
 12 Cui vel dimidio carere naso
 13 mento, luminibus labrisque posses
 14 cum soli sibi providens ocellos
 15 nusquam flectere curiosus audet.
 16 Occurras vacuo ? Gravi cachinno,
 17 vel solo mutilo strepit capillo.
 18 Quid barrum faciet gerenti in ore.
 19 Imponis tibi ? Nec vides, miselle,
 20 si vis integer usquequaque haberi,
 21 aut clausis labiis tibi loquendum.
 22 Quod demptis potes indicis tigillis,
 23 aut in perpetuum tibi silendum.

DE QUODAM QUI SE IPSUM OCCIDERAT.

P_39 v.1 Ante diem hic jaceo properata morte sepultus,
 2 sponte manu mortis perfida causa Venus.

IN LUICUM

P_40 v.1 Grandia terrificis minitaris et aspera dictis,
 2 et verbum plusquam sesquipedale tonas.
 3 Pulveris in faciem redigis, teris, obruis, uris ;
 4 dilaceras, torques ignibus, ense, fame.
 5 Hinc metui te forte putas. Hinc sperneris. Ex quo
 6 latranti praedam non capit ore canis.

IN EUMDEM

P_41 v.1 Jurgaris tumidis, Luice, verbis,
 2 vultu praecipuum superbienti,
 3 ignitis oculis, manu minaci,
 4 non ipsi patientiae ferendus.
 5 Indictum nihil impium relinquis.
 6 Ingens turpe, grave, asperum, protervum,
 7 durum, terribile, horridum, tremendum,
 8 fastosum, rabidum, nefariumque,
 9 probrosum, intolerabile, impudicum.
 10 Non clamoribus abstines pudendis.
 11 Quod contra referam nihil relinquis.

12 Quae dum singula. Curiosus hostis
 13 nulla cum ratione dignitatis,
 14 personae penitus loci vel horae,
 15 ira turbidus intonas strepisque
 16 in te singula turpiter fateris.

IN EUM QUI SIBI SAPERE VIDEBATUR.

P_42 v.1 Grammaticus, rhetor, geometra, poeta, sophista es,
 2 astrologus, physicus, musicus eximius.
 3 Grammaticen strueres Diomedem. Tullius artem
 4 ex te rite queat discere rhetoricam.
 5 Discipulum Eucliden nolles, doctumque Maronem
 6 cognovit prae te nam quid Aristoteles ?
 7 Balbutit Ptolemaeus iners. Dormitque pudenter
 8 Hippocrates, vocum quid scit Aristosenus ? (Aristoxenus ?)
 9 Usque adeo extremum tumefacto pectore testor
 10 desipis ut credas omnia te sapere.
 11 Credere vis alios certe, frustra que laboras,
 12 cum vivas utrum vivis in ambiguo.

IN OFFICIOSUM SODALEM.

P_43 v.1 Occurris quoties mihi, Luice,
 2 tensis basia porrigis labellis
 3 sacratam fidei manumque praebes
 4 et dicis mihi plurimam salutem.
 5 Offers te tua in omnibus parata
 6 immensa penitus benignitate.
 7 Et qua dixero liberalitate,
 8 hoc tu si mihi milies in hora
 9 occurras facis ambitu supremo.
 10 Tamquam Sauromatas moratus inter
 11 tunc primum patrios lares revisam
 12 verbis officiosus es sodalis.

IN SUPERBUM SODALEM.

P_44 v.1 Sericio duplicem sub tegmine xystida portans
 2 despicias aestivo tempore me comitem.
 3 Despicias immerito. Quid enim commisimus in te
 4 si me pauperies xystida ferre negat
 5 divitias igitur fortunae munus honoras.
 6 Quodque viri proprium est despicias, atque virum.
 7 Despicias aestate licet comitemque repellas,
 8 at faciet certe te mihi bruma parem.

IN PEDAGAPUM.

P_45 v.1 Et pulchrum et puerum puer decorus
 2 odit Candidus unice Terambum.
 3 Et versa vice Candidum Terambus.

4 At tu, Pedagapa libidinose,
5 afflictim peris atque amas utrumque.

IN SUPERBUM.

P_46 v.1 Est tibi confiteor facies speciosa Cupido
2 quam velit et si quis pulchrior est superum.
3 Sed conjuncta tuae tam dira superbia formae est
4 ut simul hanc damnent inferus et superi.

AD RANCIDUM.

P_47 v.1 Blandior alloquio te nemo est, Rancide, nemo
2 gratius attritum datque capitque vale
3 plenior est verbis te nemo, Rancide, nemo
4 valdius ingenita garrulitate potens.
5 Credimus et siquid perjurae, Rancide, linguae
6 tunc cum se meritis jactat in astra suis.
7 Promptior obsequiis te nemo est, Rancide, nemo
8 pulchrius officiis explet amicitiam.
9 At si quid factis revera credimus, et si
10 exactis certum sumitur indicium.
11 Pejor in obsequiis te nemo est, Rancide, nemo
12 turpius officiis foedat amicitiam
13 rusticior factis te nemo est, Rancide, nemo
14 durius exiguum quodque resolvit opus.
15 Quicquid habes id lingua tua est. Qua forte resecta
16 a picta distas jam nihil effigie.

AD AMICUM.

P_48 v.1 Quamvis officio non perfungaris amici
2 nil mihi rescribens. Vacuum quod sponte decebat
3 munus obire tua. Nae dum sermone soluto
4 ante laccessitum diverso tempore saepe.
5 Quod tamen ardenti saevoque Cupidinis arcu
6 laesus amas ardentque tepentibus ossa medullis
7 flector, et ex aliqua fieri tibi parte benignus
8 impellor magis ac deceat. Me scilicet olim
9 haud secus ardentem memini. Primumque juvena
10 quid sit amor memori deprensus pectore servo.
11 Quatenus ergo alias gravior de pectore curas.
12 Cura fugat facile ignosco culpamque remitto.
13 At quia securis puppis navalibus haeret
14 jam tua nec fluctus pavet exarmata marinos
15 non aliqua sons esse nequis, culpaque vacare
16 utque vaces aliis admissis omnibus ; unum
17 non leve commissum est sancte temerare silendo
18 foedus amicitiae. Sed ne prolixior aequo
19 ambitiosa suas tramittat epistola metas
20 huc venias, servesque fidem. Promissaque solvas
21 ocus, ut victu pariter laetemur agresti.
22 Hoc sat erit dixisse. Vale nostrique memento.

DE PINEA NUCE.

P_49 v.1 Horrida si duplici tegitur nux pinea testa,
2 cur tegor a tenui vix cute mitis ego.

DE RANCIDO.

P_50 v.1 Dicitur infelix consumptis artubus Echo
2 nil nisi supremum vocis habere sonum.
3 Crede mihi, non est mendacum fabula vatam
4 an non possit amor quod vel avaritia ?
5 Rancidus exemplo est, auri qui perditus igne
6 infelix usum nil nisi vocis habet.

DE EQUO.

P_51 v.1 Praecipites timui saltus rupesque peresas,
2 aut miserum tristi posse perire fame.
3 Pabula non timui pingui laetissima campo,
4 quae rupto causam ventre dedere necis.

DE RANCIDO.

P_52 v.1 Inter sodales Rancidus numquam sitit
2 si portione tradita pecuniae
3 bibatur. At si milies gratis die
4 merum propinetur, bibit numquam satis.

CONSOLATIO AD AMICUM.

P_53 v.1 Quamvis morte tui doleam, carissime, fratris
2 vel quod amicus erat, vel quod tibi frater amico.
3 Quod tamen est aliud praesenti cernere vultu
4 atque audire procul rerum infelicia ducens
5 muneris esse mei consolatoris egentem
6 solari, hos ad te statui conscribere versus.
7 Non quia te talem sperem, qui rebus in artis
8 ignores servare modum sed prorsus eadem
9 hoc opera aggredior quo consoletur uterque.
10 Ergo velim statuas venientibus ordine fatis
11 cuncta regi patulo late fluitantia Mundo.
12 Hinc sua cuique dies spatii praescribitur aequis,
13 fixa lege deum nulla superabilis arte.
14 Anne aliquid fratri precor evenisse putandum est
15 non omni commune viro ? Mortalibus ille
16 mortalis natus genitoribus ? Ivit eodem
17 quo cunctis certe est incerto tempore eundum.
18 Ecquid adhuc tristi turbabis pectora luctu
19 sanus homo ? Et lacrimis muliebribus ora rigabis.
20 Certe ego si lacrimis redimi irreparabile damnum

21 posset. Et insolitum quicquam evenisset adempto :
 22 tecum una in magnos difflerem lumina planctus.
 23 Quidnam autem aeterna magnorum lege deorum
 24 venturo passurus idem certissime in aevo
 25 quod pater et proavus cunctaeque ab origine gentes
 26 ingrato vitae producam tempora luctu.
 27 Quod juvenis primoque jacet surreptus in aevo ?
 28 An si maturis senior cessisset in annis
 29 id levius tolerare queam. Sat vixerit ille
 30 qui nulli vixit culpabilis. Illius aetas
 31 quam brevis est totos superarit Nestoris annos.
 32 Aut est aut non est post mortem sensus ademptis.
 33 Si non est, quid Scamandro praestaverit ille
 34 qui Tartessiacas tot saecula rexit habenas
 35 sentiet illud idem leto confectus uterque.
 36 At si quis restat sensus, quod credere dignum est,
 37 sunt etiam diversa loco tentoria : vitae,
 38 pro meritis. Non Thersites et divus Ulixes
 39 sedibus iisdem haerent. Senior de rupe Promethei
 40 Caucasea pendet. Phrygius cratere ministrat
 41 vina Jovi ambrosiasque puer. Quid longior aetas
 42 Tantale quid refugas captanti profuit undas.
 43 Abstulit ergo nihil brevior sibi temporis aetas
 44 allatura nihil centum si proroget annos
 45 esse aliquid ni jam vitam producere frustra
 46 dicimus, et vanos longum exsudare labore.
 47 Nam quid tam tristi jucundum tempore cuiquam
 48 esse potest ? Late saevit crudelis Erinnyis.
 49 Discordes patriae populantur viscera cives.
 50 Imminet exitio Pestis, Gladiusque, Famesque
 51 cominus, et legum periiit veneranda potestas.
 52 Hinc defectrices insultant milite Pisae.
 53 Illinc tela sonant atque exsulis arma Tyranni
 54 et Venetum conducta manus depressa laborat
 55 publica res avido sumptis in fenore nummis
 56 tum privata gravi premitur res pondere pauci
 57 grandia solvendo Patriae tributa petenti
 58 existunt, modicis rebus plerique laborant.
 59 Imminet ambiguo Fortuna minaciter ore.
 60 Quem rebus positura modum ? Spes omnis in arto est.
 61 Tristis ubique pavor, morboque ferocius omni
 62 dura sorte loci pejora timere futura.
 63 Et gravior leto dirae exspectatio mortis.
 64 Nonne libet medio sermone abrumpere vitam,
 65 si pietas, si fata sinant tetricaeque sorores.
 66 Felix morte sua frater, qui munere divum
 67 e mediis sublatus aquis, securus ab alta
 68 arce poli tumidas luctantes respicit undas
 69 purgata jam labe mali ; nostrosque labores
 70 ridet et aeternae fruitur dulcedine vitae.
 71 At nos incerto Fortunae ducimur aestu
 72 jactamurque mari et ventis agitamur iniquis,
 73 terra procul micat igne polus, tonat aethra, salutis
 74 apparent nusquam vestigia. Vivimus ergo
 75 qualiter extrema si quis in morte laborat
 76 languidus et puncto vivit moriturus eodem.

77 Exclamare libet : "Miseri qui vivimus, illi
 78 felices quis morte datum finire labores."
 79 Et tamen est quare fatis urgentibus olim
 80 solemur jussaeque fruamur munere vitae.
 81 Quod pietas veneranda jubet, quod in igne probatur
 82 quodque probatum ex igne nitet preciosius aurum.

DE SE IPSO.

P_54 v.1 Nocte ferae invigilant operi, sub luce quiescunt.
 2 Luce laborat, et in nocte quiescit homo.
 3 Ast ego fortunae telis objectus iniquae
 4 perpetuo curis nocte dieque premor.

DE SE ET AMICO.

P_55 v.1 Ut viret in trunco ramus, divisus ut aret,
 2 sic mea mens vultu statque caditque tuo
 3 unde tuus vires vultus mihi praestat et aufert.
 4 Quod mihi tu truncus quod tibi ramus ego.

DE SEIPSO.

P_56 v.1 Cerva ursum fugit, agna lupum, lupus ipse leonem,
 2 accipitrem volucris, quo sibi tuta fuga est.
 3 Hostes quaque suos, ego solus prosequor hostem.
 4 Haec mihi confugii sola relicta domus.

DE VERITATE.

P_57 v.1 Qualiter Ogygiae lacerarunt Penthea Bacchae
 2 sacrilegi poenas cum dedit ille sui,
 3 ut fratrem Medea suum, Cadmique nepotem
 4 mutatum rabidi diripuere canes.
 5 Immeritam logici sic discerpere furentes,
 6 ut nulla factum cum ratione putes.
 7 Quique sibi jactant leges et jura tueri :
 8 me miseram contra jusque piisque trahunt.
 9 Pro quorum poena scelerum pia numina testor
 10 ut conducticio milite bella gerant.

AD AMICAM.

P_58 v.1 Ut revocat pulsam nutricem fletibus infans,
 2 sic ego quam fugi quaero tuam faciem.
 3 Nutricem te fecit amor. Me fecit alumnum :
 4 quae potes, o miserum sola beare, bea.

DE INFANTE.

P_59 v.1 Parce meum lacrimis hospes temerare sepulchrum :
 2 hac omnes nati condicione sumus.
 3 Vixi impar multis infletus : flebis an oro ?
 4 Quem magnis fecit regibus urna parem ?

DE EODEM.

P_60 v.1 Flens puer erupi miserae genitricis ab alvo :
 2 difflevi vitae tempus in omne meae
 3 et nequid misero non illacrimabile restet.
 4 Flens morior patriae flentis in ore meae.

DE AMORE GLACIE TORPENDE.

P_61 v.1 Junxerat adducto restantia cornua nervo
 2 vulnera jam misero jamque daturus ; amor
 3 dumque locum jaculo semiulco signat ocello
 4 torpuit, et casso vulnere dextra riget
 5 extinctae cecidere faces, et chorda reductis
 6 cornibus ingenti fracta jacet strepitu
 7 at tibi frigida hiems inopiniae causa salutis
 8 addant perpetuas numina magna nives.

IN LAUDATOREM MARULLI.

P_62 v.1 Quod mihi versiculos laudas et scripta Marulli
 2 laudo ego, si laudis terminus ullus erit.
 3 Sed mihi quod toties laudes totiesque Marulli
 4 carmina, confiteor non tolerare queo.
 5 Desine, laudasti satis est. Nae forte Marulli
 6 credantur versus laudis egere tuae.

AD LYCORIM.

P_63 v.1 Quantum vix facibus jugato, sacris
 2 dotem nostra dedit parens parenti
 3 tantum nocte petis pecuniarum
 4 mercedem Veneris tuae Lycori.
 5 Quid si nulla tibi inde sit voluptas
 6 autformam pretio tuam parasses,
 7 sed vendas licet huic et isti et illi
 8 quanti vis Venerem tuam Lycori.
 9 Venalis modo sis. Meo mutoni
 10 unum non emo paenitere tanti.

DE MUSCA.

P_64 v.1 Lunarum rigidum sinuatis cornibus arcum
 2 armaratque suas in mea damna faces.

3 Indoluit, lumenque manu fricuisse cupido
 4 dicitur : in causa Musca doloris erat.
 5 Ergo furens animi pharetram laniavit et arcus
 6 et scidit ardentis impia tela faces.
 7 Quid tibi pro tanto reddam pia munere Musca ?
 8 Elysias habites umbra beata domos.

DE PATRE ET FILIO

P_65 v.1 Cum peteret gladio fugientem rabula natum
 2 quaerenti causas, ille furoris ait :
 3 "Impius, heu, sacri temerato jure parentis
 4 ivit in amplexus conjugis iste meae."
 5 Filius hunc contra : "Quid ni, pater improbe, si te
 6 cognovit toties nostra virum genetrix."

DE PSYTACO.

P_66 v.1 Optimus humani simulator psittacus oris
 2 hoc volucrum tumultu gloria rara jacet.

DE RANCIDO.

P_67 v.1 Oderunt omnes (dixi) te, Rancide. At ille :
 2 si potes invenias quos ego (dixit) amem.

AD ANGELUM POLITIANUM.

P_68 v.1 Angele, Pierios inter grave nomen alumnos
 2 praecipuum nostri temporis ingenium
 3 quem bene consultum, fato servante, negabit
 4 jure soror numquam Thespias esse sibi.
 5 Erue congestos exculpta mente labores
 6 neu tuus incassum sudor et algor eat.
 7 Consule venturo scriptis gravioribus aevo
 8 vincat et haerentem posteritatis amor.
 9 Natus homo est homini male grati pectoris ille est
 10 ingenii quisquis condit avarus opes
 11 gloria cernentem sequitur laus ; utile, honorque
 12 vel fugiat. Virtus sufficit una sibi.
 13 Gratius hirsutos inter rosa candida vepres
 14 ridet et arenti pulchrior unda loco.
 15 Exsilit impatiens angusta sede teneri
 16 ocus et fertur lata per arva bonum.
 17 Hoccine avaritiae poterit cohibere potestas,
 18 victurusque brevi tempore livor edax.
 19 Turpiter argenti caelat si pondera et auri
 20 turpius ingenii condit avarus opes.
 21 Quid nondum nati, quid nam meruere nepotes.
 22 Ipsa luet patrum crimina posteritas ?
 23 Futile nomen honos, laudes et gloria, utrisque
 24 communis, virtus possidet una bonos.

25 Consuluisse suis aeterna nepotibus illa est
26 gloria, fama, decus, utilitas et honor.

AD AMICUM.

P_69 v.1 O cui magnorum nutu concessa deorum
2 virtus, divitiae, gloria, forma, decus,
3 unica Pierii tot tempestatibus acti
4 unica jactati spesque salusque Chori.
5 Sit qui bis Tyrio saturatas murice vestes
6 deque metallifero det tibi dona Tago,
7 qui tibi Niliacas ventosa per aequora gemmas
8 advehat, et quicquid clarius orbe nitet
9 hic tibi lanigeris referat venientia lucis
10 serica Mygdonia vellera picta manu.
11 Hic det Apellaeas Veneris tabulasque Timanthes
12 et docta Phidiae signa polita manu.
13 At nostri aeternum servantia carmina nomen
14 in te conspicui pignus amoris erit.

AD FULVIAM.

P_70 v.1 Tentavi coram tibi, Fulvia, dicere saepe
2 quam mea saevus amor ignibus ossa cremet.
3 Haeserunt imo verba intercepta palato
4 et vetuit qui nunc scribere cogit amor.
5 Ergo amo te quantum non est comprehendere cuiquam
6 qui quantum scit amat, non bene prorsus amat.

DE QUONDAM PUERO.

P_71 v.1 Ivit Narcissus Pisas, rediit Ganymedes,
2 rursus eat Pisas forsán Adonis erit.

DE CANDIDO ET RUFFO.

P_72 v.1 Candidus et Ruffus fratres duo pulcher uterque.
2 Et color ambobus nomina forte dedit :
3 hic aetate prior, sed corpore grandior ille
4 ut non sunt annis sic quoque mole pares
5 vixerunt longe diversis moribus ambo
6 et multo dispar tempore vita fuit.
7 Vix aliqua tandem sed convenere : duorum
8 dissimilis nae omni tempore vita foret.
9 Alter septifidam munus chelyn, alter ab uno
10 mercedem Veneris hendecachordon habet.

AD FULVIAM.

P_73 v.1 Conantem me saepe loqui pudor ipse repressit
2 nec tibi quod volui dicere adhuc potui.

3 Me facies moresque tui cepere, tenentque.
 4 Sit meus o facias iste perennis amor.
 5 Malueram coram tibi dicere, sed pudor obstat :
 6 haec tibi quam mitto charta pudore caret.

AD JACOBUM NARDUM.

P_74 v.1 Jacobe mi prae omnibus sodalibus
 2 amate, si quid ulli adhuc bene creditur,
 3 tuas rubore tinge nae malo genas.
 4 Amare quo ferare, dum male non ames.
 5 Amas ? Quod aetas postulat facis tua.
 6 Quod hic et iste et ille fecit aut aget.
 7 Commune crimen est si amare crimen est.
 8 Sed absit, ut sodalem ego arbitrer meum
 9 libidinosa turpiter prurigine
 10 quicquid popellus inquit, moverier.
 11 Sed illo amore quo bonum decet virum,
 12 novem sororum amicum et omnium deam,
 13 vel ergo amas ut optimum decet virum.
 14 Vel non amas, quicquid popellus inquit.
 15 Bonam puta sat esse conscientiam.
 16 Putere naeve quod nec es nec esse vis.
 17 Tuas rubore tinge nae malo genas
 18 amare quo ferare dum, male, non ames.

AD ANGELUM DE ARETIO.

P_75 v.1 Arreti specimen decusque honorque,
 2 dotis, Angele, non secus Camenis
 3 gratus quam Maro, Horatius, Catullus.
 4 Cessas mi veteri tuo sodali.
 5 Tamquam jam carie situque obeso,
 6 gratas Pieridum vices referre ?
 7 Cessas officium referre amico ?
 8 Non est ingenii silere amici.
 9 Sed sunt quis premeris tibi actiones.
 10 Est ingens cumulus negotiorum.
 11 Opponis clipeum mihi actionum ?
 12 Ignoscam tibi que actionibusque,
 13 si quicquam studio facis repulso
 14 aut praeter studium tibi negoti est,
 15 si non et totidem mihi actiones,
 16 ut vix quid studiis loci supersit.
 17 Quas inter tamen et tui recordor
 18 ut par est, veteris mei sodalis.
 19 Quod si tu veteri tuo sodali
 20 tamquam jam carie situque obeso,
 21 perstas officium negare amici
 22 vel fastus nimis es negotiosus
 23 ut sit nomen idem tui et negoti.
 24 Vel, quod pace tua velim locutum
 25 et quod sit procul, invide superbus.

AD ALESSIUM LAPACCINUM.

P_76 v.1 Sic, o Pieridum chorus,
 2 sic magnus speculae rex Heliconiae
 3 vinciri jubeat tua,
 4 jamdudum meritis tempora frondibus.
 5 Quod te quod studium meas
 6 egit ridiculas quaerere ineptias
 7 annis quod teneris puer.
 8 Invito cecini carmen Apolline
 9 partum quem neget obstetrix
 10 dignum sidereo vivere sub polo
 11 informi facie caput
 12 praeceptis oculis naribus et labris
 13 monstrum quale nec hospita
 14 quam lata exstat ad hunc vidit humus diem.
 15 Et cesso miser emori
 16 tam saevi genitor prodigii impudens.
 17 Et cesso tamen improbus
 18 si cessare parum est adjiciam meis
 19 crimen criminibus novum.
 20 Damnatum tenebris exterioribus
 21 invisumque Erebo et polo
 22 propagare ferox in populos caput.
 23 Non si Juppiter imperet
 24 quisquam me comitum fidus ad impium
 25 hortator subiget scelus
 26 dum compos animi mens furiis vacat.
 27 Ergo durior aspera
 28 tam largo comiti rebus in omnibus
 29 praeter quam Venere suam
 30 ergo Caucasea rupe ero durior
 31 et quae perpetuo colo
 32 nent vitas hominum fila sororibus
 33 consuetudinis immemor
 34 servatae a teneris unguiculis mihi
 35 qua nil addidici meum
 36 non commune meis esse sodalibus.
 37 Et nunc carmen Alexidi
 38 poscenti, officii non memor abnuam ?
 39 Quamvis dedecus in meum
 40 si perstas cupidis poscere vocibus.
 41 Flammis esca voracibus
 42 ereptus liber aures feriet tuas.
 43 Qui si te afficiet male,
 44 quod nolim et faciet dedecus in meum.
 45 Mecum sic liber inquiet
 46 quaesisti, ergo habeas quicquid id est mali.

EPITAPHIUM MARSILII FICINI.

P_77 v.1 Hic situs est magni sacrum qui dogma Platonis
 2 Marsilius patriae tradidit et Latio.
 3 Exuvias tellus, caelestes spiritus oras

4 diva sed et terram fama polumque tenet.

AD JACOBUM NARDUM.

P_78 v.1 Horres dulciculos meos Iambos
 2 qui nomen nisi nil habent Iambi.
 3 Pulchella facie venustulaque
 4 qui sint melliculo vel Atticillo
 5 vel longe Siculis favis sapor.
 6 Horres immerito meos Iambos.
 7 Sed nomen satis est habere Iambi.
 8 Quod durum cruor efficit Lycambae,
 9 esto, si placet, horreas Iambos.
 10 Dum non Hendecasyllabos tremiscas
 11 et lasciviolos meos trochillos
 12 et nervum rigidi et pharetram amoris
 13 qui nec Caelicolum timore regi,
 14 nec matri pietate, nec sibi ipsi,
 15 nedum Nardiolo meo pepercit.
 16 Jam tu, si bene te, Jacobe, novi,
 17 mavis Hendecasyllabis Iambos.

DE AMICAE VULTU ET MORIBUS.

P_79 v.1 Odi et amo ? Et nequeo non illud amare quod odi
 2 rursus habere odio non nequeo quod amo.
 3 Sic odio miscetur Amor. Mulcetur Amore
 4 sic odium. Atque odio sic maculatur Amor,
 5 te fateor moresque tuos mutabilis odi
 6 depereo rursus te faciemque tuam.
 7 Magna tibi toties ne me contraria laedant,
 8 immutent mores Numina vel faciem.

AD GALLAM.

P_80 v.1 Ne mihi praeterito suevit quod flore juvenus
 2 debueras dicas Galla rogare rogo.

AD MACHRINUM.

P_81 v.1 Curarum non parva manus, Machrine, mearum
 2 ecquid ab urbanis absentis rebus amici
 3 rite memor gratae servas pietatis amorem ?
 4 An levis ex animo cum corpore cessit imago,
 5 certe ego seu rutilum radiis Titana coruscis
 6 altior ex aequo divisi circulus Orbis
 7 spectat et ardenti lustrantem lampade Terram
 8 sive Polum fuscis Nox circumplectitur alis
 9 densior obscurae taetra caliginis umbra
 10 parte mei meliore memor praesentia cerno
 11 ora nec oppositi prohibent tua lumina montes.
 12 Ipsa mihi ante oculos praesens absentis imago

13 qualis ad ingentes mirae testudinis arcus
 14 murorumque minas, nudaque patentia caelo
 15 aequora laeta volat et plurima mente recursat.
 16 Hinc ego (ni vanis mens aegra eluditur ausis
 17 argumenta notis) ausim praesumere certis
 18 immemorem non esse mei quem pectore servem.
 19 Sic tua me probitas, fidae sic mutua nostrae
 20 vincula amicitiae, pietasque fidesque probumque
 21 ingenium sperare jubent, vos omine fausto
 22 spem, Superi, firmate bonam ac concedite, quaeso,
 23 ne sit abortivo spes intercepta sinistro,
 24 sed date legitimos maturo tempore partus.
 25 Id praestare Deos quamvis adductus opiner
 26 in diversa trahunt certamina Speque Timorque
 27 ambigua levitate animum, sic aequore in alto
 28 cum fera diversi coeunt ad proelia venti,
 29 Auster harenosa Syrtis populator, et oris
 30 saevus Hyperboreis Aquilo stridentibus alis
 31 certatim incumbunt pelago tolluntque per auras
 32 caeruleos fluctus cumulosque ad sidera aquarum,
 33 fluctuat instabilis non aequo pondere cymba
 34 utque graves animos tumefactaque murmura ponunt,
 35 pacatis Neptunus equis ubi caerula lustrat
 36 fertur in optatos puppis certo impete portus,
 37 scripta tuis manibus nutantem littera mentem
 38 sistet et a pelago fausta firmabit harena
 39 quicquid erit, rerum dum sit pars una tuarum
 40 seu tibi materiam dederit defectus ? Abundans
 41 flumine seu largo facundia fluxerit, omne
 42 gratum erit, atque adeo nequid mihi gratius, absum
 43 dum procul a vobis gelidae vagus incola terrae.

E GRAECO.

P_82 v.1 Dum quid legitimum sit scire et discere tentas
 2 ne facias contra jusque piumque vide.
 3 Quod decet ignoras satius quam despicias ? Illud
 4 naturae dicas hoc animi vitium.

AD ALEXANDRUM PACTIUM.

P_83 v.1 Non de te numeros vel hos vel illos,
 2 Pacti, sed numeros vel hos vel illos
 3 qualescumque dares volens petivi
 4 misisti hendecasyllabos roganti
 5 torsisses vel iambicas sagittas.
 6 An tu de domino quasi macelli :
 7 vel pectuscula cluniumve partes,
 8 certum quid tibi flagitans, minisque.
 9 Mecum jure videris actitare ?
 10 Hoc est Archilochi excitare iambos.
 11 Si mi non etiam ferociores
 12 quamvis nomine mitiore tectos,
 13 tradas hendecasyllabos iambis.

DE REDITU AMICI.

P_84 v.1 Salve praesidium meum, decusque,
 2 spes, desiderium, lepos, voluptas,
 3 salve deliciae meae sodalis.
 4 Tandem post varios, amice, casus
 5 post saevas hiemis ferae procellas,
 6 post tam tempora longa, post dies tot
 7 mi vultus datur en tuos videre,
 8 et veras capere et referre voces.
 9 Amplexus mihi da diu cupitos
 10 da centum et cape basiationes.
 11 Felicem quater o diem et beatum.
 12 Ten dextra teneo ? Ten osculorque ?
 13 Ut vix luminibus manuque credo.
 14 Ut somno vigil, ambigo teneri ;
 15 sic cor laetitiaeque gaudioque
 16 compos vix animi sui que gestit.
 17 O lux candida, pulchra, lux beata,
 18 reddis me sibi, mi meum sodalem.
 19 Fortunas animumque corculumque.
 20 Jam nil. O superi precamur ultra.
 21 Concessis liceat frui perenne.

E GREACO. AD MACHRINUM.

P_85 v.1 Pollicitum large mihi quae te cumque rogarem.
 2 Te licet usque rogem das tamen inde nihil
 3 velle quidem nec posse (nefas) vox redditur una ;
 4 et peream si non quae periere rogem.
 5 Da nudum, Machrine, rogo, quia cetera desunt.
 6 Respondere aliud nil, nisi nolle, potes.

AD DYSPHILUM.

P_86 v.1 Quod dixi te, Dysphile, amo, me despicias. Odi
 2 sta tibi : dispeream me nisi, Dysphile, amas.

DE SENE REPUERASCENTE.

P_87 v.1 Iliacas acies alius Danaumque tumores
 2 dicat, et heroum cui quis vult addat honorem
 3 tu Cunina mihi primis immania cunis
 4 gesta bis octonos et tres celebrata sub annos
 5 exordire. Puer materna eductus ab alvo
 6 quicquid agi puerile solet (quis crederet) inde
 7 distulit in stupidae non congrua tempora vitae.
 8 Ille et ab uberibus magnae dedit indolis omen
 9 spesque fide major populos invasit ; eratque
 10 non leve momentum tenerae miracula dextrae
 11 vel motura graves animos. Tum cognita late

12 immatura viri gravitas raraeque superbum
 13 indolis ingenium, tum portendentia mentem
 14 verba senis, Pyliae non concessura senectae.
 15 Talis ei at trepidae cum jam lallaret alumnae
 16 herbarum metuenda lues, qui sanguine vesci
 17 abnuit, et magno tradens praecepta Platoni.
 18 Par decus ipsa ferunt cunabula cetera longae
 19 diversis cessere modis. Crescentibus annis
 20 decrevit vigor ille animi ? Sensimque refugit
 21 mentis acuta acies ? Torpentique obruta somno
 22 pubescente gena primae temptamina cunae
 23 exigit, et verso sese temone reliquit
 24 scilicet hinc nulli res est obscura ? Senectae
 25 vim teneris concessam annis, et postera primis
 26 commutata locis vitae contrarius ordo
 27 mutatam rerum seriem patefecit et ultro
 28 si quaesisse neges sese procul obvius offert.
 29 Ergo aut exiguis constructam moenibus arcem
 30 plastello transferre parat, laterisve recocti
 31 pulvere bombycinos implet nigrante cucullos
 32 clitellamve cani statuit, dorsoque negantis
 33 sarcinulas religat ac frenis impedit ora.
 34 Deceptasve cavo procludit carcere muscas.
 35 Aut virides capit at propter spineta lacertas
 36 atque illi caput ense rotat. Sed restis iniquae
 37 altera fert laqueos suspensaue calcibus auras
 38 verberat, interdum nucibus par lusitat impar
 39 ad patulumve cavum. Jactuque evertere tentat
 40 congestas de more nuces. Sectaevae papyri
 41 e speculis varias Euro spirante figuras
 42 projicit, atque oculis servat sub nube volantes
 43 affectatque alias aliud, lacrimisque negatum
 44 flagitat instabilis nec certa sede moratur
 45 arridet, lacrimat, toties mutatur in hora
 46 quot Proteus sumit facies. Quot messis aristas
 47 poma autumnus habet. Mittam liventia plumbi
 48 percussi prudens numismata, nec mihi curae.
 49 Ferrea clavorum series, et quae vice saepe
 50 canna potitur equi ac praevertit flumina cursu.
 51 Multaque praeterea, famae quae tradere tempus
 52 abnegat, adveniet divis melioribus hora
 53 quae liceat dimissa sequi. Atque ex ordine totum
 54 pandere opus. Totaque novem diducere Cirrha
 55 ille quidem melior paulatim evadit, et aevo
 56 his longe majora dabit, ni vanus haruspex
 57 praescia fatidicis deceptit viscera fibris.
 58 Donec concessae perfecto tempore vitae
 59 qua prius aetherias carpsit spirabilis auras
 60 flectat iter matrisque iterum condatur in alvo
 61 jamque adeo clausa liceat consistere meta.

DE PUERO MALE PRAECINCTO.

P_88 v.1 Quod male praecinctum puerum te dixerit Eunus,
 2 laetaris vanis ominis indiciis.

3 Quid sibi cum Sylla. Tibi quid cum Caesare, quamvis
 4 et male praecinctus et puer et malus es.
 5 Finge tamen factis animo quod concipis esse
 6 vindice non deerit Cassius ense tibi.

DE OBITU MARULLI.

P_89 v.1 Ingenio Phoebus belli par munere Marti
 2 Graia domus Cecina busta Marullus habet.

DE EODEM.

P_90 v.1 Evasit toties hostilia tela Marullus
 2 ut Cecinae tumidis obrueretur aquis.

DE CATONE.

P_91 v.1 Quid magni perimens sese Cato fecit, ubi ales
 2 cernere victoris non tulit ora sui.

DE TEMPORIS VELOCITATE.

P_92 v.1 Temporis amissi frustra dolor ille dolorum est
 2 fulmineoque dies ocius igne volat.

AD FORMOSUM.

P_93 v.1 Naturae specimen quo sese contulit omnis
 2 Gratia, Mens, Animus, Forma, Pudicitia.

AD ALEXIUM.

P_94 v.1 O pereat de te quicumque sititor, Alexi,
 2 hesterna sua sit nocte rogare merum
 3 quae prius humebat taciturno lingua palato
 4 dum loquor : arenti est aspera facta siti
 5 fata deoque, mihi sitis est dum cura futura
 6 irruit ante diem praecipitata sitis
 7 vivite venturi cuicumque est cura diei.
 8 Non facit ad sortem sedula cura meam.

AD EUMDEM

P_95 v.1 Ah, cessas dare debitum sodali
 2 poscenti Bromium, vel exprobranti
 3 spectator sapidi elegans Alexi
 4 exspectas iterum rogem precerque
 5 non tanti est Bromii calix avari.
 6 Exspectas, nihil est sacri maligne

7 confundis mihi somniis, Lyaeum
 8 dicis prodigiosa somniantem
 9 portenti ne adeo precor tremendi est.
 10 Amplexus lepidi rogare Pactii
 11 atrae tempore somniare noctis
 12 quos luci vigilans adoret alter.

CONSILIUM.

P_96 v.1 Somno lumina ne prius reclines
 2 quam lapsae reputaris acta lucis.

EPITAPHIUM ANTONII ALLII EPISCOPI VOLATERRANI.

P_97 v.1 Allius antistes Volaterrae Antonius hic est
 2 moribus incertum major an ingenio ;
 3 vita quidem priscis etiam mirabilis annis
 4 plurimus ingenii stat monumenta liber.

AD ALEXIUM.

P_98 v.1 Nil nos de Bromio queramur at tu
 2 ne persta vitio alteri imputare
 3 optes quae vigilando somnianti
 4 Francisco quoque teste, ceterisque
 5 oras qui Latii colunt profundi
 6 ne Vasco mihi testis excitetur
 7 in re serio maxime jocosa
 8 vel mixto potius joco severa.
 9 Sed missum facio citare testes
 10 se magnae fidei virum probemus.
 11 Quod multis mihi testibus citatis
 12 credatur tibi testibus recisis.

DE PUERO FUGIENTE.

P_99 v.1 Dum fugis injecta lacerata lacinia dextra
 2 ingenue fateor criminis esse mei.
 3 Sic tamen posse me liceat modo vera referre
 4 ut non diffitear criminis esse tui.
 5 Non ego quem, nec tu fugias qui jure dat, ergo
 6 quod fugis ambobus crimina damna tibi.

AD PAULUM.

P_100 v.1 Ah valeat, quicumque tibi persuaserit auctor
 2 carmine me mores carpere, Paule, tuos
 3 ille et de superis male sentit, utrique parenti
 4 sacrilegas quoties intulit ille manus.
 5 Proh pietas, proh sancta fides tuus ille per ignes
 6 cognitus et toties per fera bella comes.

7 Suggestu potuit credi malefidus iniquo ?
8 Sic indeprenti criminis esse reus.
9 Dii facerent animumque meum pectusque videres
10 insontem laedi confiteare virum.
11 Ille notis quisquis tacitis te laesit inussit
12 cognita res uni vixque duobus erat.
13 Si fas vera loqui, si quid tua fama laborat
14 prima quidem illius, proxima culpa tua est.
15 Indice te populi pervasit fabula in aures
16 et prope laedentis crimina laesus habes.
17 Atque utinam poenas tecum daret impius, ex quo
18 non placuit salvo te daret ille deis
19 sed dabit (est et enim qui iudicat et videt) olim
20 quid scimus, dudum forsitan ille dedit
21 non tamen idcirco culpam in te transfero ab illo
22 absit iudiciis ah pudor iste meis.
23 Sed tua cum fuerint tacitis signata figuris
24 ulcera quae soli vix tibi nosse licet.
25 Nostra palam ferro probitas laceratur aperto
26 nullius Caelo conscia teste doli.
27 Exceptas ausit voces temerarius auctor
28 ausit carminibus inserere ipse suis
29 quo mihi famosi scribatur culpa libelli,
30 ah nimium faciles in sua vota deos.
31 Ausit et, o superi, vicit fraus impia verum
32 dicimur innocui criminis esse rei.
33 Idque feram credant alii quaecumque libido est,
34 dum sit iudiciis mens procul ista tuis
35 me tua credulitas avibus tentata sinistris
36 me tua credulitas unica, Paule, movet
37 illa mihi est animis, illam revocare cadentem,
38 si licet ad primos est mihi cura gradus.
39 Ista mihi tecum geritur res omnis, ab uno
40 iudicio pendet quantulumcumque tuo
41 da mihi te facilem placidoque haec aspice vultu.
42 Non decet iratum iudicis esse animum.
43 Sed neque es iratus, neque enim tam frivola possunt
44 altius ingenium facta movere tuum.
45 Ipse quod in promptu est vitae tenor optimus ergo
46 longius inceptum ne remoremur iter.
47 Tempus adhuc nullis maculis si quaeris inustus,
48 candoris speciem detinet usque sui.
49 Nulla per ignarum de me sunt omnia testes
50 inspicias, turpis fabula vulgus iit.
51 Tu mihi, tu morum testis gravis ipse meorum es
52 cujus amicitiae lustra secunda fluunt
53 laudator nostri morum rerumque fuisti,
54 nec tibi in officio nequior ipse fui.
55 Hae mihi, si certis licuit cognoscere quicquam
56 iudiciis, laudes pignus amoris erant.
57 Nec tibi praecipuos (si vera fateris) amicos
58 inter et eximios ultimus ipse fui.
59 Certe ego quaerenti, verum quae ducis amicum
60 siquis erit, dixi : quis nisi Paulus erit.
61 Ipsa tamen meritis pietas tua vicit et olim
62 rarum habeo per te nomen amicitiae

63 et mihi uter vestrum certastis amicioꝛ esset
 64 pectoribus vestris tunc ego tantus eram.
 65 Fallimur an fictis placuit contendere verbis
 66 certamenque adeo nil, nisi lusus erat.
 67 Asserat incerto turbatum vulnere pectus
 68 auctorem quod me dixerit esse doli.
 69 An magis ex animo res gesta est, ipseque fervens
 70 pectoris arta pari claustra negavit amor.
 71 Quoque mage immeritum laedi se credidit ira
 72 exarsit flammis mens furiata novis.
 73 Quicquid erat, nostris haesit fixumque medullis
 74 permanet, ad vitae fata suprema meae.
 75 Tempore jam ex illo tibi vivimus, hinc mea porro
 76 jure potes juris dicere facta tui.
 77 Hinc addicta tibi, mea sunt quaecumque fuerunt
 78 numera fortunae, corporis, ingenii.
 79 Tentavi aeternum nostro te carmine meque
 80 mole simul magni nominis esse tui.
 81 Imperfectus adhuc materna liber in alvo
 82 est mihi, laude tua non leve prorsus opus.
 83 Nulla fides dictis, nudis modo rebus agamus.
 84 Spectetur factis intemerata fides.
 85 Expediat si forte tibi, per tela, per hostes,
 86 per medios ignes ibimus, ire jube.
 87 Daedaleos jussi tentabimus aere cursus ;
 88 des licet aequoreis, Icare, nomen aquis.
 89 Hoc erit examen examine certius omni
 90 hoc certum verae pignus amicitiae.
 91 Ac me quando alios ingentis praeter amoris
 92 pignora, ad haec testes tradere fata negant.
 93 Per quaecumque tibi placeat caelestia juro
 94 numina perque tuum dulce meumque caput,
 95 perque ipsum qui durat adhuc mansurus amorem,
 96 per qui fallaces corripuere deos.
 97 Nae mihi contingat felicia tempora vitae
 98 cernere et optato quolibet ante frui.
 99 Ipsa sed adverso Fortuna minaciter ore
 100 saeviat in miserum sanguinolenta caput
 101 per praecedentes geminos si visere soles
 102 contigit hunc quo sunt scripta reperta locum,
 103 aut aliquis ductu nostro se contulit illuc,
 104 consiliis veniens in tua damna meis.

AD DEIPARAM.

P_101 v.1 Stelliferi Regina poli cui virginis uni
 2 contigit et matris nomen habere Dei
 3 Virgo, genus partu cujus mortale revixit
 4 cujus parta salus virginitate parens
 5 da cupido (neque enim sine te tibi dicere laudes
 6 est cuiquam) tanto numine digna loqui
 7 arentem sancto fecunda nectare mentem
 8 sentiat ingenium crederis unde parens.
 9 Grandia concipiat pectus conceptaque ructet
 10 non desiderii inferiora suis.

11 Clauserat aetherias transacti crimine jussi
 12 damnata Genitor posteritate fores,
 13 errabat privata suis humana propago
 14 finibus incertae subdita facta neci.
 15 Cuique prius rerum parebant cuncta jubenti
 16 in sese discors est sibi factus homo.
 17 Ille licet meritas lueret pro crimine poenas
 18 et sibi conducta lege subisset onus
 19 quo divina tamen in se fulgeret imago
 20 natus et aetherias esset adire domos
 21 non postrema Deo supera de sede repulsum
 22 ad primos iterum cura referre gradus
 23 jus pietasque viae Domini, quibus ordine junctis
 24 omnipotens peragit dextra quod optat opus
 25 mittere mortales superantia debita vires
 26 justitiae dicas et pietatis opus.
 27 Claudatur modico suprema potentia fine
 28 id facturum adeo quis neget esse Deum.
 29 Ipsa sed invento meliore aeterna potestas
 30 justitiae fecit cum Pietate satis.
 31 Non poterat, debebat Homo, non debitor ulli
 32 solvere qui posset vix Deus, unus erat
 33 factus Homo Deus est ; et debita morte resolvit
 34 qui debebat Homo, qui poteratque Deus.
 35 Ille Dei veri verus Deus unica proles
 36 ad nutum cujus terra Polusque tremunt,
 37 ille coaeternus idem cum Patre creator
 38 cujus opus manuum quicquid ubique viget
 39 ille prophetarum toties cantatus in ore
 40 promissus toties Patribus ille salus
 41 Rex Regum et Dominus Dominantum ventre recludi
 42 non dedignatur Virgo sacrata tuo.
 43 Quis mihi pro rerum concedat mole canenti
 44 conceptus Animi promere posse mei,
 45 o tenues hominum tanta ad conamina vires
 46 sensaque non facilis lingua aperire animi
 47 quis fuit ille dies caeli quo misus ab arce
 48 visceribus clausit se Deus ipse tuis.
 49 Mirata est rerum seriem Natura novari
 50 divinamque hilaris sensit adesse manum,
 51 cum procul exsiliit clausa puer inclytus alvo
 52 et facta es salva virginitate Parens
 53 qui mores, quae vita fuit ? Quae pectora, quae mens,
 54 elegit Dominus quae sibi templa Deus.
 55 Innumeros inter populos diversaque regna
 56 viderunt similem saecula nulla tibi
 57 fulxerit Assyrio quamvissublimis in ostro
 58 sceptraque quassarit femina saepe manu
 59 exigua illarum jacuit pars subdita terrae
 60 imperio parent cuncta creata tuo
 61 duravit paucos harum dominatus in annos,
 62 at tua perpetuo tempore Regna manent.
 63 O fortunati felicia viscera partus,
 64 o vere sexus gloria vera tui.
 65 Per te femineae deleta infamia labis,
 66 per te feminea est nobilitata manus

67 per te parta salus. Per te revocatus ad astra
 68 inferno prope jam semisepultus homo,
 69 quod Deus humanos humilis superinduit artus
 70 plasmaque non timuit plasmatis esse sui.
 71 Quodque reportavit fera per tormenta triumphum
 72 Tartara victrici quod spoliata manu,
 73 quod patefacta viris sublimis janua Caeli
 74 et religata Hostis colla superba feri
 75 hoc decus hoc Regina tuum. Tua gloria, honorque
 76 haec scribenda tuis omnia sunt meritis,
 77 traxit honoratus supera de sede Tonantis
 78 progeniem sacrae virginitatis odor.
 79 Tu Mater, tu Virgo Dei, tibi gloria, caeli
 80 quae Regina tuo sub pede regna vides,
 81 cuncta tibi a domino rerum concessa potestas,
 82 tu mare, tu terras sideraque alta regis,
 83 o verae pietatis opes, o pectora numquam
 84 audire humanas exsatiata preces,
 85 quisquis ad haec flectit cupidam navalia puppim
 86 non desideriiis luditur ille suis.
 87 Larga adeo numquam cessat tua dextera, quoque
 88 plura dedit, multo plura dedisse velit.
 89 Stant numerosa tuae testes miracula dextrae
 90 terrarum qua tu lumina cumque refers
 91 ipse ego languenti medicinam corpore sensi
 92 a te demissam caelitus esse mihi
 93 qua montana vetus distendit moenia saxo
 94 orbitum, et summo despicit arva jugo
 95 quaque paludosa sulcantur stagna Ravennae
 96 quaque lacertosus incolit arva Camers,
 97 sacra Dei Genetrix decus alti nobile caeli,
 98 humani generis gloria, fama, salus.
 99 Quae pietas est summa tibi concede precanti
 100 perpetuo grata te pietate colam.
 101 Quae potuit Thomae Salais dedit. Addere posset
 102 his Deus aeternus factus uterque simul.

AD ALEXIUM LAPACINUM.

P_102 v.1 Quid mi non loqueris, tenax Alexi ?
 2 Quid mi non loqueris ? Fugisque torvum
 3 crescens in caput optimum sodalem.
 4 Nam quid commerui, mali quid egi ?
 5 Numquid quas merito salax Priapus
 6 spernat, delicias tuas subegi ?
 7 Quod rursus renuamque somniare
 8 nedum pervigili patrare ocello.
 9 Sed cenae mihi debitor profecto es :
 10 hoc est quod retices, fugisque cenam
 11 majoris facis optimo sodali.
 12 An pluris faciam te, Alexi, cenae
 13 an pluris faciam te, Alexi, cenam,
 14 quivis iudicet. Optimo sodali
 15 si pluris facias, Alexi, cenam,
 16 quis te non faciat minoris Hilo.

AD BAPTISTAM SOTERINUM.

P_103 v.1 Qui Soterino dixit te sanguine cretum
 2 mores, Baptista, nesciit ille tuos
 3 signatum falsa deduxit origine nomen
 4 perdita mi nulli te duce parta salus
 5 ille Siderinae te dicere stirpis alumnum
 6 debuerat, duro durior es Chalybe.

AEGLOGA. CORYDON, AEPOLUS, AMYNTAS.

CORYDON

P_104 v.1 Aepole, Maenalias inter celeberrime silvas
 2 pastorum, si quid Corydonis credis amori
 3 ulterius ne impelle pecus, requiesce sub umbra
 4 et mecum tenui carmen modulare cicuta.
 5 Hinc densae salices et prata virentibus herbis
 6 pingua non umquam saltu cessura Sicano.
 7 Hic inter tremulas auris crepitantibus alnos
 8 dulce repercussis sinuato gurgite ripis
 9 saxa inter fluuius fugientibus instreperit undis
 10 pascua non pecori, non deest patoribus umbra
 11 quoque minus fugias hic esse, decentior ipse
 12 formosi custos gregis en accedit, Amyntas :
 13 aspicias ad truncam qua ducit semita quercum.

AEPOLUS.

14 Non secus atque olim lacrimosis abditus antris
 15 qua niveam rapuit lupus agnam Thyrsidi ab urbe
 16 vidisti longe redeuntem laetus Alexim.

CORYDON.

17 Scilicet ipse lupum cum te non esse dolebas
 18 ereptamque tuo graviter praedam ore ferebas.

AEPOLUS.

19 Aut tunc cum Mopsi nocturnus ovilia circum
 20 anniculum tacite rapuisti perfidus agnum.
 21 Ne tamen in longum procedant iurgia. Coeptum
 22 praeter iter, laeta tecum sedeamus in umbra.
 23 Dilectus Corydon, mihi non invisus Amyntas.

CORYDON.

24 Aepole, te Corydon adamat, nec spernit Alexin.

AMYNTAS.

25 O Corydon, o magne gregis dux Aepole, quae vos
26 huc Fortuna precor ad pascua nostra coegit.

CORYDON

27 Haud invisā ubi te, formose, videmus Amynta
28 nec novus haec Corydon accedit pascua quondam
29 intermissa petit saltus propioris amore.

AMYNTAS.

30 Laetius anne usquam terrarum germinat herba ?
31 Pubentesve tremunt salices. Quae fontibus ora
32 uberius scatet irriguis. Non Thessala Tempe
33 paverit hic quamvis tauros formosus Apollo,
34 saltibus his certent. Vel si certamina sumant
35 victa dabunt carptum Phoebō quoque iudice gramen.

CORYDON.

36 Qua tu cumque greges pastum deduxerit. Illic
37 laetius Aemoniis pinguescent saltibus arva,
38 concipient steriles mutato sidere campi,
39 erumpent subiti disjecto pulvere fontes.
40 Aspice turbantum picea caligine caelum
41 adventu gaudere tuo. Pulsisque tenebris
42 flammiferos nitidum splendere per aethera currus.

AEPOLUS.

43 Haud istis leviora olim consuevit et Alchon
44 dicere Damaetae merito quis nesciat illum
45 laudatum (atque ideo non est cur pulcher Amynta
46 Damaetae invidias) tantum tua gloria forma
47 altius attollit caput inter sidera, quantum
48 subsidunt pinis salices, humilesve miricae.
49 Nunc quis Damaetae saltem reminiscitur Alchon,
50 quid non longa potest rapido pede labilis aetas.
51 Quid non Antigenae reminiscitur, et tamen aetas
52 et facies eadem ambobus, quid profuit ergo
53 huic aetas ? Illi nocuit, nec forma, nec aetas,
54 Aepole, te tenerae memorem fecere Liciscae.

AMYNTAS.

55 Quin aliquod potius carmen cantare paratis
56 mollia dum simae carpunt virgulta capellae
57 et procul armentum tenera depascitur herba,
58 pascentes servabo egomet cantantibus agnos.

AEPOLUS.

59 Vis, puer, exstinctum lacrimas deflentis Adonin
60 vis referam Veneris, fuso cum sanguine vidit

61 transfixo puerum super inguina dente jacentem
 62 aut crimen Boreae rejecti pondere disci
 63 Oeбалiden, frustra Clario lacrimante, cadentem.

CORYDON.

64 Immo ea quae nuper praeacuta falce notata
 65 levia saxa super monstrasti carmina Mopso
 66 Barcaei aeternos referentia Delphidos ignes.
 67 Digna tuo auditu res est, laudabis, Amynta
 68 laudarunt quicumque alii videre poetae.

AMYNTAS.

69 An citra laudem componeret Aepulus. Ille
 70 jampridem vatam laudes sibi vendicat imus.

CORYDON.

71 Et merito, nam nostra sibi quem comparet aetas
 72 num tenuem Bavium scabrosaque carmina Mevii.

AEPOLUS.

73 Viderit haec alius, nos quod nunc instat agamus.
 74 Tu, Corydon, inflare leves ne sperne cicutas,
 75 incipiam, loquiturque suos jam Delphis amores.
 76 Silvicolae Fauni, Satyri Dryadesque puellae
 77 vosque meos silvae questus audite propinquae.
 78 Obstruit adversas clamantis vocibus aures
 79 nec lacrimas audire ferox dignatur amantis
 80 noster amor, quid dure fugis. Non postulat istos,
 81 non aetas, non Forma sibi, non Tempora Mores.
 82 Rusticitas priscis pastoria vixerit annis,
 83 nunc etiam silvas comitas colit urbis agrestes.
 84 Silvicolae Fauni Satyri Dryadesque puellae
 85 quem fugis. Arcadiae pecoris quis ditior ora est,
 86 finge tamen. Primos inter feror ipse poetas
 87 concedit numeris mihi Tityrus. Haud quoque Daphnis
 88 in litem veniat mecum, te iudice, formae.
 89 Sit quoque vel formae specie, vel carmine, qui me
 90 muneribusve potens vincat, non vincet amore.
 91 Silvicolae Fauni, Satyri Dryadesque puellae
 92 et tamen ipse fugis, nec amor, nec munera curae
 93 nec carmen, nec forma tibi est. Quem spernis amantem
 94 est ultro sese nostro qui tradat Amori
 95 atque addicta tibi jampridem abducere tentet.
 96 Et nolim et faciet, coepto si longius instas,
 97 dura adeo res est non adventura morari.
 98 Silvicolae Fauni, Satyri Dryadesque puellae
 99 aspice vere novo frondentia roborata silvae,
 100 quas hiemis posuere comas stridente procella.
 101 Ipse et quid liquida sese dum spectat in unda
 102 infelix ni jure puer miserandus et hosti
 103 jam moriens saevi testatur voce doloris,
 104 sumite ventosi de me documenta Minores.

AD ALEXIUM LAPACINUM.

P_105 v.1 Ardes, vae misero, impiis Alexi
 2 nec quemquam superum pudet deorum,
 3 ardes pro facibus (nefas) Amoris.
 4 Quem speres hominum, inferumve divum
 5 laturum rapidis opem sagittis
 6 infenso Jove caelitemque turba ?
 7 Me ? Quem perpetuis Venus catenis
 8 vinctum carceribus domat tremendis
 9 aerumnae, gemitus, mali, doloris
 10 aeterni hospitium perenne planctus.
 11 Idem vel pelago minari habenas
 12 vel caelo injiciam manus profundo
 13 invitis Superis deumque rege.
 14 Ah quaeras alias opem per oras
 15 cui plusquam mihi sit spei.

AD JOANNEM ORICELLARIUM.

P_106 v.1 Sic tibi siderei faveat regnator Olympi
 2 et tua felici coepta secundet ave,
 3 sic laetos sine labe dies sic tempora praestet
 4 candida, nonnullis intemerata malis,
 5 quis Deus auspiciis cohibet tua vela sinistris
 6 incursu coeptum quae mora tardat iter,
 7 heu sortem et nostris toties contraria votis
 8 numquam fata meis exsaturata malis
 9 forte deam nullo contectam vidit amictu
 10 Actaeon, poenas non minus ille dedit
 11 impia, Tantalidae Niobes convicia matris
 12 inscia bis septem corpora morte luunt.
 13 Cadmeiden oculi juvenem fecere nocentem
 14 inscius, at nudam viderat ille deam.
 15 Tantalidae nullo meruerunt crimine mortem
 16 quidni, sacrilegae viscera matris erant.
 17 Ille suo, matris periere hi crimine. Nullus
 18 quo peream matris non meus error erit.
 19 Distulit in longum tempus sperata Joannes,
 20 num precor exemplo distulit illa meo.
 21 Quid mihi, quid faciant alii dirumve piumve
 22 proficit aut ipso jure nocere potest.
 23 Thersitaene moram celeri qui scribat Achilli
 24 aut pius aut sane mentis habendus erit ?
 25 Confundi si cuncta placet si scindier aequum
 26 et certam nullis rebus adesse fidem,
 27 jam pius Aeneas nihil a Busiride differt
 28 Anchisen humeris vexerit iste licet
 29 ille, nefas, sacris violatis hospitis aris
 30 paverit humano sanguine dirus equos.
 31 Tu (nunc) da veniam, dum sic poscente coacti
 32 materia, rebus nomina vera damus.
 33 Tu quoque quem nulli fas est dixisse nocentem

34 impius ad scelerum maxima quaeque venis
 35 dii melius, quam corrupti miserabilis orbis
 36 impietas mores fregerit ipsa tuos ;
 37 magnanimis certare animo, pietate fideque
 38 natus es, et summa vincere laude pios.
 39 Res diis iudicibus et spectatoribus iisdem
 40 digna est. Laudatos vincere laude viros
 41 non ego non mecum tu collaudaveris illum
 42 flagitiis, alios vincere quisquis avet.
 43 Vera, gravi gravitate, probo probitate fideque,
 44 gloria, certare est et superare pares.
 45 Ergo agedum laudis veros imitatus honores
 46 rumpe moram, et grato pectore redde vices.

LAUS.

P_107 v.1 Quisquis agit formae tantum de laudibus in te
 2 ignorat verae nomina laudis adhuc
 3 non secus ac Venerem si laudaturus Apellis
 4 ad conchae laudes rettulerit speciem
 5 dicturusve Jovem majestatemque supremam
 6 in forma laudis triverit omne decus ;
 7 quae quamvis est justa, tuae est quota portio laudis
 8 nec secus illa tibi convenit atque Jovi.

DE QUIDAM MORIGERATO AC PULCHRO PUERO.

P_108 v.1 Rara tibi est facies, rari et sine crimine mores
 2 ambobus longe rarius ingenium.
 3 Callidus incautum triplici circumdedit astu
 4 quo me perpetuis ignibus urat amor
 5 illexit facies, mores traxere, morantem
 6 implicuit tantis dotibus ingenium,
 7 ipsa brevi poterat facies peritura tenere
 8 perpetuo mores ingeniumque valent.
 9 Moribus, ingenio, forma si dignus amari est
 10 dispeream se non omnibus unus is es.
 11 At si quis tantae est verus virtutis amator
 12 ne vivam si non ille ego solus ero.

P. CRINITI EPITAPHIUM.

P_109 v.1 Heus audi properes licet, viator,
 2 Criniti tumulo teguntur isto
 3 dilecti cineres sacris Camenis.
 4 Hoc scires volui. Recede felix.

IN FRANCISCUM.

P_110 v.1 Quem colimus scripto Franciscus belliger orbe
 2 quas canat alterius orbis adivit opes.

IN ECNOMUM.

P_111 v.1 Ingeniosus homo es et callidus, Ecnome, nam quae
2 sprevisisti parvus vendere, grandis emis.

IN PUERUM.

P_112 v.1 Abite quisquis istius cupidine
2 novus teneres. Non nisi biennio
3 licet peracto perfrui cupidine
4 quid haesitas adhuc ? Nonne miser aspicias
5 seges frutescit horridis aristulis ?

IN JOHANNEM.

P_113 v.1 Pestis reliquiae gravis, Johannes,
2 Orbecchi comites jacent sepulchro.
3 Hoc Antonius et Renatus una
4 sic differt Lachesis minas nec aufert.

IN AMOREM.

P_114 v.1 Ausa Cupidineis ignarum exurere flammis
2 fama prius nostris res nova temporibus
3 quam dedit et nostram cuperem peccasse puellam
4 rursus, ait, spretis me pietate fide.
5 Usque adeo incertus cura graviore popellus
6 pervacat ut vanis haereat usque jocis ?
7 Quae me scire negem cupiam si vera fateri
8 qui de me gratis asserat ista mihi est,
9 an quaequam sua cura latet refugitque quod intus
10 perpetuo clausum nocte dieque gerit.
11 Et videt alterius latitantes pectore sensus.
12 Et sua qui nescit vota aliena tenet
13 ut qui clam summo positum fert vertice fenum
14 pendula vel cujus cartula terga notat ?
15 Prorsus ita est. Nescit dominus, vicinia furem
16 novit et arcanum si quid in aede malum.
17 Fur Amor est, furti latebras arcanaque cordis
18 ingreditur furtim mentem animamque rapit.
19 An cantata rapi se mens non sentit, et alto
20 capta velut sensu, mersa sopore jacet.
21 Ut quos saxificae mutarunt ora Medusae
22 aut Cyllenaeae virga superba manus ?
23 Perlege quot superant veterum monumenta virorum
24 pagina Caelicolum crimine rara vacat ;
25 arsit amore Deum toties Pater arsit, et ardens
26 defluit in Danaes aurea gutta sinus
27 candidus Europeus Taurus per caerula vexit
28 candidus in Ladae Cygnus erat gremio
29 ales et asterie cum te decepit et ales
30 idem cum puerum traxit ad astra Phrygem.

31 Quid referam Inachiae toties mutata juvencae
 32 ora vel Arctoi sidera fixa poli ?
 33 Cur doleat Juno tellus mare sidera praebent
 34 ni contenta sui parte sit illa Jovis ?
 35 Quid, Neptune, tuos dicam quid fratris amores ?
 36 Signata est flammis Sicilis ora suis
 37 haud immunis abis Mavors, nec proelia tantum
 38 fama canit, notus quam tuus exstat Amor.
 39 Quid Phoebus ? Maiaque satus ? Reliquive deorum
 40 aut amat aut nihil est quisquis in orbe deus
 41 si Pater omnipotens hominumque deumque creator
 42 cujus ad Imperium quicquid ubique tremat,
 43 si numerosa deum toties ignara propago
 44 exarsit flammis usta Cupidineis.
 45 Tale pati jam turpe nihil mortalibus aegris
 46 me vincat dum sic vicerit ante deos.

IN AMICAM FUGIENTEM.

P_115 v.1 Fugisti satis, o satis superque.
 2 Sum longe satis, ac satis secutus.
 3 Jam jam desine, non sequar volentem.
 4 Nolentem modo jugiter secutus.
 5 Exspectas cremer et sequar perenne
 6 quod passim cupidi solent amantes
 7 caelo cum Jove teste polliceri,
 8 dura ut pectora molliant amatis.
 9 Non sum qui fueram, color nec idem
 10 nec vultus tibi nec vigor nec aetas.
 11 At tu sollicitam secutionem
 12 in sola positam fuga putabas.
 13 Sic olim leporesque capraeque,
 14 sic cervus mihi longius placeret.

THALAMUS PICTUS MAGNIFICE.

P_116 v.1 Dixissem procul este rudes spectandus. At ex quo
 2 non mutat ruditus luminis esse vide.

IN AMICAM INGRATAM.

P_117 v.1 Tempore, amore, fide, precibus, lacrimisque perenni
 2 servitio, numquam flectere te potui
 3 Quid non perfeci ? Quid non te propter omisi,
 4 redditur officiis haecine palma meis ?
 5 Quae pietas, hominis quid in isto corpore regnat ?
 6 Thrax flexit Stygios mole minore deos
 7 et dubitabit adhuc quis contingentia rerum
 8 nomina Naturae nec ratione dari.

EPITAPHIUM GUIDANTONII URSPUCII

P_118 v.1 Interpres gravis utriusque juris
 2 qui se mellifluae fluore linguae
 3 non vespae ast apium genus probavit
 4 Guido Antonius hoc jacet sepulchro
 5 is quem vivere oportuit perenne
 6 vel numquam superum videre lumen.

EPITAPHIUM CUJUSDAM PUERI.

P_119 v.1 Siste gradum, quem saxa tegunt ne sperne, viato,
 2 laudatus toto claruit orbe puer.
 3 Certavit facie superis hominesque deosque
 4 vicit et huic formae par erat ingenium.
 5 Sed vicit longe damnosa superbia formam,
 6 formosus vixit non sibi, non aliis.

AD AULUM.

P_120 v.1 Aule, quid ingratis caelum terramque fatigas
 2 vocibus et vacuos non sinis esse deos ?
 3 Parce, precor, superis cassoque absiste labori
 4 non facit ad mores ista querela bonos,
 5 nosce datis utcumque frui vanosque tumores,
 6 projice nec mentis frena remitte tuae :
 7 quid juvat insana caelum conscendere votis
 8 frena vel immenso ponere velle mari ?
 9 Sic trahitur radiis per eundem concitus orbem
 10 delusus falsa nubis in effigie.
 11 Pectore sic urget versatque volubile saxum
 12 Sisyphus et mediis Tantalus aret aquis.
 13 Stant sua nascenti dirarum lege sororum
 14 fata. Necis vitae terminus illa dies
 15 illa modum nostris rebus faciemque ministrat
 16 imperat et certa currere fata via.
 17 Ludit in humanis fallax Rhamnusia rebus :
 18 hoc premit, hos certo tempore jussa levat,
 19 hinc lare ab angusto devictum temperat orbem
 20 Cyrus et a regno vincula Croesus init,
 21 Hellespontiacae timuerunt Xerxea nymphae
 22 ponentem tumido frena superba mari,
 23 et modo cui tellus, cui non suffecerat aequor
 24 riserunt trepidae tradere terga fugae.
 25 Nil habuit majus Pompeii Roma triumphis
 26 libertas nullo Caesare dum viguit,
 27 nil Roma tellus. Pharii tamen ense tyranni
 28 litore truncus iners non minus ille jacet.
 29 Is quoque cum magno totum qui vicerat orbem
 30 altricis patriae sanguine tinxit humum.
 31 Scilicet exiguo pendent mortalia filo...

Quod superat conficiendum, auctor morte praeventus imperfectum reliquit.

DE LEONARDO DE ARETIO PICTORE.

P_121A v.1 Naturam superare penicillo
 2 dum fretus Leonardus elaborat
 3 nisus pingere Riccium Johannem
 4 se tandem superarier fatetur.

P_121B v.1 Miraris potuisse loqui Dodonida silvam.
 2 Non poterit totum pars quota quod potuit.

IN LAURENTIUM IN STUDIIS INSANIENTEM.

P_122 v.1 Dum sapiens fieri Laurens doctusque requirit
 2 insanabilibus corripitur furiis,
 3 sic studio assequitur longe diversa petitis
 4 caelo delapsum credite "meden agan".

IN QUEMDAM PARVULUM.

P_123 v.1 Ne ride, hinc superant voces et gesta parentum
 2 saepe sub exigua grandia mole latent.

IN QUEMDAM GLORIA PARENTUM SUPERBIENTEM.

P_124 v.1 Magnanimum quod pectus avis deducis ab ipsis,
 2 respondetque actis larga manus patriis
 3 non ideo minor est tua laus egere priores
 4 inter mille, tuo tempore solus agis.

CAMPANA LOQUITUR.

P_125 v.1 Signo horas cito populos gemo gestio pro re
 2 nubilaque appulsu frangitur aethra meo.
 3 Fundamenta vides fidei, venerabile corpus
 4 testatamque suo sanguine sacra manum.

IN VANAM PUELLAM.

P_126 v.1 Dum tibi quae facies qui sit color exigis a me,
 2 conscia mens vitae conferat acta tuae.

AD AMICUM SUA CULPA RELICTUM.

P_127 v.1 Miraris, quererisque tibi <....> quod hostis (vers lacuneux)
 2 sim modo qui nuper tantus amator eram
 3 paenitet incepti, quoniam si culpa vocanda est
 4 nostra voluntatem culpa secuta tuam est.
 5 Sic eat obdurem licet irrevocabilis, ut quem
 6 posse juvare negas posse nocere probes.

LAUS LUCAE DE ALBIZIS.

P_128 v.1 Senserat Albitius sua Lucas stamina rumpi,
 2 cum vires laxo deficerent utero
 3 uxorem et caros ut circumspexit amicos
 4 ad flentes siccis rettulit haec oculis :
 5 "Dives honoratus populi sublimis alumnus
 6 dilectus vixi civibus et patriae ;
 7 debita persolvi patriae quid denique restat
 8 jam sua naturae reddere jura paro.
 9 Este procul curae tenues mortalia cuncta,
 10 jam meus aetherias spiritus haurit opes."
 11 Dixit et ardenti defixus in aethera vultu
 12 destituit gelido frigida membra toro.
 13 I decus egregium patriae languentis honosque
 14 o veniant gestis aemula saecula tuis.

EPITAPHIUM ALEXANDRAE SCALAE.

P_129 v.1 Quis hic quiescit hospes aede ? Alexandra
 2 an illa Scala ? Prorsus illa Musarum
 3 alumna, cui Latina, cui Pelasgorum
 4 Camena debet, ipsa nobilis quantum
 5 referre Roma nec Pelasga gens possit
 6 laboris iste terminus datur nostri.

EPITAPHIUM CAROLI.

P_130A v.1 Quae tu ? Cypris. Et haec ? Pallas. Pro fata ! Quid autem
 2 tristia caeruleis ora rigatis aquis ?
 3 Hic situs est Carlus qui nos conjunxit. Adonis
 4 alter, zelotypi vulnere Martis obit.

DEHORTATUR AMICUM AB AMORE LAIDIS.

P_130B 1 Laida sectaris, sectaris Laida frustra,
 2 crede mihi, novi Laidis ingenium
 3 Lais amatorem nuper contempsit Adonim,
 4 quod non conceptas nervus haberet opes
 5 Nestor abi quid agis, dicentem cerno petenti
 6 abnuerim pridem cum dare Nestoridi.

DE VERE JAM REDEUNTE.

P_131 v.1 Felices redeunt dies
 2 aurea redeunt saecula,
 3 posuit turbidas
 4 hiems procellifer animas,
 5 posuere venti,
 6 ludit junior annus
 7 levique Favonio,

8 florida tellus
 9 sinu refundit divite
 10 omnigenos fetus.
 11 Aspexit nos propius
 12 aequo lumine Juppiter
 13 olim senior.
 14 Humi latentem viperam
 15 cervus voravit,
 16 crevit per membra vigor
 17 adjectum decori est decus
 18 merito constitit
 19 honora tandem caelitem
 20 cardine potestas
 21 dextro ingrediere sidere.
 22 Hoc vatis auspicio
 23 ut frater Patriae
 24 sic orbis olim creditus
 25 reges habenas.

IN LUCRETIAM MEDICEM.

P_132 v.1 Tyndarida egregio Medices Lucretia vultu
 2 Penelopen casto praestitit ingenio,
 3 sic torsit facie populos regesque deosque,
 4 extorrem patria sic tulit illa virum.
 5 Grandia multorum naturae operata dierum
 6 explevit paucis munera nupta parens.
 7 Rapta polo tandem fruitur terrisque relictis
 8 adjiciunt oculi sideribus numerum.

IN ZOPIRUM ATHLETAM.

P_133 v.1 Athleta in somnis medicinam nocte ferentem
 2 Zopirus Artemium vidit et interiit.

IN TURDOS.

P_134 v.1 Inter aves turdus gustu dulcissimus olim,
 2 nunc etiam primos occupat ore locos.

AD PAULUM.

P_135 v.1 Unum ut convenias tres, Paule, relinquis amicos
 2 officium si hoc est officiosus homo es.

P_136 v.1 Agite tristes oculis,
 2 maestas fundite lacrimas,
 3 ut mater unico super
 4 vidua filio
 5 perennis eat
 6 fluor per genas

7 non cessent gemitus die
 8 non ululatus tenebris :
 9 "Quis dabit quis meo pares
 10 dolori lacrimas,
 11 miser, vaeh miser,
 12 dolor, heu dolor !
 13 Lapis ille, ille fulgidus
 14 tot erutus laboribus
 15 tot agitatus casibus
 16 quae nec Mors abstulit
 17 nec ira Jovis
 18 aquis premitur."

IN DAVIDA REGEM (E GRAECO).

P_137 v.1 Expavit nuper viso Davide Goliass
 2 moxque tremens tales vix dedit ore sonos :
 3 "Depuduit quondam puero cecidisse sub hoste,
 4 nunc ingens victo gloria victor erit."

DE MARTE ET PUERO.

P_138 v.1 Feminea Phrygium speculatus veste ministrum
 2 Mars procul Idaliam credidit esse deam,
 3 accensusque nova solitaque libidine pronus
 4 nota per amplexus oscula ferre parat.
 5 Cui puer : "Haud equidem Vulcani rete piandum est
 6 hoc facinus magni sed magis igne Jovis."

AD PAULUM. (E GRAECO)

P_139 v.1 Obtundis me, Paule, necas tum denique dicens :
 2 "Tandem aliqua ingenii da monumenta tui."
 3 Numquid quae teneris deliria lusimus annis
 4 non est hoc laudem quaerere at opprobrium.

EPITAPHIUM FRANCISCI VALORII.

P_140 v.1 Franciscus hic sepultus est Valorius.
 2 Diebus unum quem suis Florentia
 3 civem manu ore vidit integerrimum.
 4 Paterno amore consulentem patriae
 5 qui patriae nequid suae non traderet.
 6 Vitam furori civium hostiam dedit.

IN QUEMDAM SIBI VERSUS ALIENOS ASCRIBENTEM.

P_141 v.1 Legerit invalida deceptum fronte Tonantem
 2 frigida dum credit marmora viva Lycas
 3 carminis auctorem postquam cognovit. "At, inquit,
 4 in clipeo Phidiam Palladis inspicias."

IN MATTHIAM CORVINUM.

P_142 v.1 Matthiae sum Janus. Age inspice cetera dices
2 annis me vivent rebus obisse senem.

AD CARILLUM.

P_143 v.1 Quos Mavors Veneri, Venusque Adoni,
2 quos propter (faciet) faber catenas,
3 et si non leve sit vel otioso,
4 jam bis, ter, quater, abnegant Camenae.
5 Invitas ni qui favere cogat.
6 Irascar Clario sororibusque.
7 Det versus puero, Carille, poscis
8 et Mavors rigido induatur apro
9 tentavi tamen id vel occupatus
10 nec Phoebus reminiscitur cupressi,
11 quid tandem faciam, Carille, quaeso.
12 Irasca<bo>r in Delio Camenis, (vers faux et lacuneux : cf.note dans
13 si iracundia profutura quicquam est ; version \.doc' du texte scandé.)
14 nam quos des puero negare perstant
15 irato faciles dedere versus.
16 Irasci sed enim vides obesse
17 quis harum referam negationem
18 invita faciam nihil Minerva.

EPITAPHIUM MATTHIAE CORVINI.

P_144 v.1 Saxa vides titulo Corvini insignia Jani
2 in quo Matthias vixit obitque pater
3 gesta fidem superant. Raptus juvenilibus annis
4 implevit tremuli munia longa senis.

E GRAECO.

P_145 v.1 Deucaliona meus pinxit Liger, et Phaetonta
2 et quo sit pretio dignus uterque rogat :
3 da sua cuique Liger (dictant oracula), dignus
4 igne suo Phaeton, aequore Deucalion.

LEONIDAE.

P_146 v.1 Nycticorax letale canit. Sed cum canit ipse
2 Demophilus, moritur tunc quoque Nycticorax.
3 Deucalionaeis non tot cecidere sub undis
4 vel Phaeton primos cum male rexit equos
5 quot Potamon vates per carmina quotque diebus
6 chirurgus paucis extulit Hermocrates.
7 Quattuor hac hominum vexaret saecula pestes :
8 Deucalion, Phaeton, Hermocrates, Potamon.

LEO. IN CANTORE.

P_147 v.1 Nocte canens tota vicinos extulit omnes
 2 excepto cantor similis Origene
 3 quod caret audita natura benignior illi
 4 reddidit ut vitae longior hora foret.

DE SE IPSO.

P_148 v.1 Diffitear si forte mea me laude moveri
 2 mentiar humano sum quanto ego ingenio
 3 praecipue laudante viro qui jure meretur
 4 laudari. Qualem te mihi fama dedit
 5 quem Musae, quem Phoebus amat. Cui fonte relicto
 6 Idalio comes it et Venus et Charites.
 7 At mihi cum Musis nihil est, natura negavit
 8 carmen Apollinei munera sacra chori
 9 uberibus tibi vernat humus Parnassia glebis,
 10 provenit et nullo multa labore seges.
 11 Nos sterilem colimus obtuso vomere terram
 12 raraque defessas ludit arista manus :
 13 haec, animo dictante, sibi mens conscia sentit
 14 et damnat vires debilis inde suas.
 15 Inde tuos animos afflataque pectora cernens
 16 nescit iudicio non dare cuncta tuo
 17 perque vices animi varias huc fertur et illuc,
 18 ut levis adversis flatibus acta ratis
 19 Parce ferire novis trepidantia pectora telis,
 20 sit tibi cedentis terga videre satis.

EX GRAECO LIBRO A. 'EIS PLOUTOÏNTAS'.

P_149 v.1 Pauper eram juvenis, senior sum denique dives.
 2 O nimium solus tempore utroque miser
 3 nil habui, tunc cum rebus poteram omnibus uti,
 4 at cum fructus abest omnia nunc habeo.

EX GRAECO. STRATONIS LIB. 2.

P_150 v.1 Oblectare bibe fugit interitura voluptas,
 2 nec tibi potandi copia semper erit.
 3 Funde unguenta caput nitidis incinge coronis
 4 inferias alius haec (et) habent cineri.
 5 Spargat odoratus viventis dum Euthius ossa
 6 mergat aquis ubi vult mortua Deucalion.

LUC. 'EIS ...'. <mot grec peu lisible>

P_151 v.1 Me puerum nullis obnoxia pectora curis
 2 quinquennem rapuit mors fera Callimachum.

3 Parce tamen lacrimis, modico nam tempore vivens
4 effregi vitae taedia longa malae.

EPITAPHIUM PANDULFI LUNAE PRONOTARII APOSTOLICI.

P_152 v.1 Pandulphi cineres et ossa Lunae
2 hoc sunt <in> pronotarii sepulcro, (vers lacuneux)
3 cujus spes, pietas, fides amorque
4 accepit meritis suis minora,
5 quo ergo spes, pietas, fides amorque
6 scrutator Deus et remunerator.

LIBRI. B. 'EIS AGONISAS'.

P_153 v.1 Quattuor incolumen post lustra agnovit Ulixem
2 intransentem patriae tecta cupita canis,
3 At Stratophon caestu pugnans vix quattuor horis
4 fit miser ignotus civibus et canibus.
5 Admoto faciem speculo si respicis ipse,
6 jurabis non sum, non ego sum Stratophon.

IN ATIM.

P_154 v.1 Doctus quisque perit, praestat nescire (Atis inquit)
2 ni fallor longo tempore vivet Atis.

ALLOQUITUR UMBRAM.

P_155 v.1 Si licet inferni secreta referre tyranni,
2 dic mihi si qua labor praemia doctus habet
3 advena Romano quae commoda sentit in orbe
4 doctus Hyperboreas Indus arare notas.

'eis pheidolous' B. LUCILII.

P_156 v.1 Sis dives licet usque aliis, mihi pauper avare es :
2 testis enim largas arguit usus opes.
3 Si frueris partis tuae sunt, si parcis avarus
4 haredi, jam nunc sunt aliena bona.

EX EODEM LIBRO.

P_157 v.1 Guttur heri laqueo fracturus Glauce Lycurgus
2 propter sex nummos perditus haud perit
3 restis enim tanti, vult vilis ille paratur
4 atque emptam tanti nescit obire necem.
5 Ne perdat moriens sex nummos, non perit ergo.
6 Hic est extremae limes avaritiae.

DE MORTE FRATRIS.

P_158 v.1 Quod moreris frater, nihil Mors attulit exlex
 2 quod dives Croesus ditior et Darius.
 3 Quod juvenis : prima multi periere juventa.
 4 Quod pulcher, forma nescia parca capi.
 5 Quod sapiens : veterum praecessit turba virorum.
 6 Quod felix : paucis contigit ante tamen.
 7 Quod cives, juvenis, sapiens, quod pulcher, honestus
 8 et felix : uni fata dedere tibi.

DE FRATRIS IMMATURA NECE.

P_159 v.1 Te quoque vernantis primo sub flore juventae
 2 abstulit audaci livida Parca manu.
 3 Non gemitus flexere trucem, non vota parentum,
 4 non decor et rari nobilitas animi,
 5 omnia sed rapuit terram raptura Polumque
 6 mortales mirum ducimus esse mori.

IN GAURANUM SE OBITU LABISCI MORI VELLE CONFITENTEM.

P_159B v.1 Miraris voluisse mori moriente Labisco.
 2 Gauranum, vetus est fabula velle mori
 3 dicitur. Alterutrum dum mors caput invida poscit,
 4 Alcestis vitae praeposuisse virum.
 5 Vivere, Gracche, negas tua dum Cornelia vivat.
 6 Masculus e geminis anguibus inde perit.
 7 "Sed vir et uxor erat", inquis : feliciter esto,
 8 hic vir et uxor erat neuter, uterque magis.

LECTORES LIBER ALLOQUITUR.

P_160 v.1 Sim licet exiguus, Lector, ne sperne libellum :
 2 perlege. Mox dices grandis ut iste liber
 3 ima probat moles : formae vis maxima summis
 4 sic vicit Parias Indica gemma molas.
 5 Quid prius, an ventrem feries, an pectus, Oresti,
 6 (mater ait) : vita hoc nutriit, ille dedit.

AD THALIAM.

P_161 v.1 Quos dabis vati numeros, Thalia,
 2 an quibus Pisae celebres et Isthmos ?
 3 Nescit humanam superum referri
 4 voce potestas.
 5 Tu canas altum decus et potentis
 6 ingeni vires animique dotes
 7 septuplex cujus viget ore magnae
 8 pallados orbis.
 9 Ille majorum referet verendos
 10 integer mores, celebresque cultus,

11 ille virtutum meritis decentes
 12 reddit honores.
 13 Grande venturis posuere laudis
 14 fata certamen cupient minorum
 15 plurimi, tantae referent palestra
 16 praemia paucis.

P_162 v.1 Obvia forte meo dum fit venus aurea Floro :
 2 "Nate, refert molli quo pede tendis iter ?
 3 Arcus ubi pharetraeque facesque levesque sagittae ?
 4 Quaeque tuos oculos vitta tegebat ubi est ?
 5 Versicolor quo penna abiit ? Quid vestibus artus
 6 contegis ? Hac hominem vel petis arte deum ?"
 7 Ille sub haec : "Aliena refers. Nec tela nec arcus
 8 novimus, aut ullas tendimus insidias."
 9 Tunc Venus : "Haud homini cedet qui numina fallit.
 10 Non alius caelo regnat inermis amor."

EPITAPHIUM THOMAE SOTERINI.

P_163 v.1 Soterina domus Thomas eques hic jaceo hospes
 2 virtuti et patriae vixi oblique Deo.
 3 Hic nati posuere. Sacri dux alter honoris
 4 frena Petrus patriae temperat alta suae.

AD AMICAM.

P_164 v.1 Unde tibi tantos veniam novus inter amantes,
 2 si vacat haud dubiis accipe vita notis.
 3 Fortunis confisa suis ruit irrita amantum,
 4 turba ego perpetui fretus amoris ope
 5 hos facies peritura movet, me forma superstes
 6 his modo pulchra : mihi pulchra pudica places.
 7 Quod nihil est illis, satis est mihi, qua licet una
 8 esse, loqui mistis seria ferre jocis.
 9 Voti haec summa mei ; tamen hinc ubi serviat omnis
 10 quantulacumque mea est sors, manus, ingenium.

IN EPISCOPUM.

P_165 v.1 "Omnibus adveniens pax" dixit episcopus. At qui
 2 omnibus est clausam quam tenet ipse domi.

DE SUO IPSIUS FRATRE.

P_166 v.1 Uno omnes fratrem dixerunt ora parenti
 2 annos victurum Nestoris astrologi.
 3 Hermocliides contra unus ait. Sed funera cum jam
 4 efferris maestis cerneret exsequiis.

EX GRAECO.

P_167 v.1 Nactus apes furax populat dum mella Cupido
 2 praedantis digitos saeva pupugit apis.
 3 Indoluit, perstansque manum tellure repulsa
 4 prosilit et Veneri quid doleat reteggit :
 5 "Quantula mater, ait, lacrimis gemebundus obortis
 6 est fera quanta ni vulnera fecit apis."
 7 Cui Venus arridens : "Apibusne simillimus ipsis
 8 detrahis en quantus vulnera quanta facis ?"

AD TELESINAM.

P_168 v.1 Si te habeo, Telesina, habeo omnia, si omnia praeter
 2 te Telesina habeo, nil Telesina habeo.

AD AMICUM LONGE INHABITANTEM.

P_169 v.1 Ut te conveniam Scythiam Libyamque requiram
 2 ut non conveniam longum iter omne mihi est.
 3 Sta miser, effugiet stantem, quae nam viget aetas
 4 cur fugias aberit, cur fugiaris erit.

AD AMICAM.

P_170 v.1 Promittis, promissa negas, offersque negata,
 2 qui sequitur refugis, quique fugit sequeris,
 3 spretus ardes gratis spernentem spernis amatum
 4 dilexi, sperno, dispeream nisi amas.

DE SUI TEMPORIS FLAGITIIS.

P_171 v.1 Me miserum pudet, agnosco, perit optima vitae
 2 protinus insolidum non reditura dies,
 3 non animi quaeruntur opes, non corporis artes,
 4 luxurie corpus ingeniumque perit.
 5 Haec referens, quid nisi tamen crimina fassum
 6 supplicio dignum te graviore premi.

P_172 v.1 Non per multa Lycon stadiorum milia distat
 2 emicuit nasi cuspis adunca procul,
 3 jam latebrosa sonant fruticosus naribus antra :
 4 cras reor haud saltem postridie hic aderit.
 5 Castoris haud nasum dicas sed castora nasi
 6 ni rectum parvis cedere magna putas.

P_173 v.1 Quis male grata meis suspendens munera tectis
 2 obtulit. Aut haec Martia templa decent.
 3 Infractae galeae nulloque infecta cruore
 4 scuta, et inattrito stipite tela nitent.

5 Tota pudore rubet facies, multusque per ora
 6 exsiliens sudor pectus ad ima rigat :
 7 mollia porticibus referant hos atria cultus
 8 istas virginei delicias thalami.
 9 Trunca, cruenta feri ponantur in aede Gradivi
 10 arma, movent animos talia dona meos.

P_174 v.1 Pieridum rex arcitenens jaculator Apollo,
 2 germanum irritare jube genus acre ferarum
 3 quatenus attineant hominem ; laetique beato
 4 ore sonent populi, nec tum placidi atria nactus
 5 summa Jovis, gemitusque viri, mortesque reponam.

P_175 v.1 Arentem inserpens platanum me vitis obumbrat
 2 undique et externae cingor honore comae
 3 illius quae fronde mea viridante racemos
 4 nutricias, sociae non minus aequa prius.
 5 Quisque sibi posthac talem lactator amicam
 6 quae cineri grates una referre docet.

P_176 v.1 Nactus apes furax populat dum mella Cupido
 2 praedantis digitos aspera punxit apis.
 3 Indoluit, perstansque manum, tellure repulsa
 4 matris Acidaliae constitit ante pedes.
 5 "Quantula, mater, ait, lacrimis gemebundus abortis
 6 est fera, quanta mihi vulnera fecit apis.
 7 Cui Venus arridens : "Apibusne simillimus ipsis
 8 detrahis, en quantus, vulnera quanta facis ?"

P_177 v.1 Nactus idem hospitium noctu cum morte Cupido
 2 mutatis temere mane abeunt pharetris.
 3 Haec dolet invalidis <...> dare vulnera, fortes (vers lacuneux)
 4 ille mori, dubius suscitatur arma dolus
 5 pugnantes dirimit Nemesis, male perdita Cesses,
 6 summa homines fugiant, haec mala mors et amor.

AD COSMUM MED. PRINCIP.

P_178 v.1 Maternis passim numeris, quae personet aures
 2 excubat ad postes plurima turba tuos.
 3 Et quae te Latio celebret facundia versu
 4 rara sed Aoniae non minor arte lyrae.
 5 Rarior Argolici vernat tibi carminis auctor,
 6 et culto titulos elevat ore tuos.
 7 At tua qui triplici recinat praeconia lingua,
 8 ut mihi cum paucis blandiar, unus ero.
 9 Quod si tranquillo dabitur considerare portu
 10 Musa brevis referet munera longa morae.

ITEM AD EUNDEM.

P_179 (Decem versus Graece et Latine scripti)

P_180 v.1 Vicit Alexander consulti gesta Philippi,
 2 rursus Alexandri vicit Iulus opus,
 3 at Medices tanto superavit <.....> Iulum, (lacune signalée par
 4 quanto nobilior quam scolopendra leo. l'éditeur)

P_181 v.1 De Jove questa Rheae flebat Saturnia Bacchi
 2 legitimis Semelen plus potuisse toris.
 3 Tum mater : "Cupido dispar concede marito
 4 sit de Marte satis tot licuisse tibi."
 5 Dimidium toto cum plus, Ascraee, canebas
 6 mentis in obtutu nasus Abantis erat.
 7 Heu, vates, quam vera refers, nam pars quota vultus
 8 quadruplus ad totum nasus Abanta tumet.

NICOLEPTO LOVACINO.

P_182 v.1 Scripsimus Argolice retices ? Nescire fateris.
 2 Ne dubita medica nil super arte loquor.
 3 Romanas etiam voces nescire fatenti
 4 crediderim demptis testibus usque tibi,
 5 ni tamen insanae revocas deliria linguae.
 6 Ne tibi cum larvis rem fore larva putes
 7 jungentur Tuscae Latiis Graiisque Camenae.
 8 Audiatur ut laudes quisque legatque tuas
 9 excussos parvo vendet puer aere libellos.
 10 Urbis et orbis iners fabula turdus eris,
 11 rustica te pariter cantabit et urbica pubes,
 12 non dabitur noctu non tibi luce quies,
 13 ut Copus utque alii cessent manesque virique
 14 dirarum facibus corripere sacris,
 15 donec Ulyxae discerptus verbere dextrae
 16 in lacrimas vani spiritus oris eat.

AD NICOLAUM RODUFUM CARDINALEM.

P_183 v.1 Accipe delicias quicumque requiris agelli
 2 lyrata synae, quem nimis premunt juga
 3 nec Cereri facilis tellus, nec amica Lyaeo est
 4 septentrionis ustulata frigore.
 5 Quippe ubi temperie cultum quoque juverit annus,
 6 aegre quaterna messe respondet seges.
 7 Icta Pelethroniis Thesen da pocula mensis
 8 conviva sobrius Phobis Rhetusque erit.
 9 Quas alerent frutices arcent decreta capellas,
 10 ut undequaque confluant opes Hero,
 11 castaneas quandoque tamen fungosque ministrat,
 12 tum villa Jani tempus et mores refert.
 13 Quaeritur in medium furtoque assueta juvenus,

14 lucem tenebris mutat in noctem vigil.
 15 Si sapis hic agros villasque parare, memento
 16 livore quisquis ureris vicinia.

LAELIO TAURELLO FANENSI.

P_184 v.1 Incola Flaminiae vestrae cognominis urbis
 2 quae fortuna seni est, garrula mittor avis,
 3 non caveae splendore oculos, sed pectus et aures
 4 cantibus et variis tangere docta modis,
 5 unde novus laetetur herus, placidusve prioris
 6 praesidio foveat remque decusque suo.

COSMO MEDICI.

P_185 v.1 Arma librosque monet diverso tempore Pallas
 2 perque vices, pugnae, fulget et arte togae,
 3 praestat utrumque simul Medices prudentia Cosmae,
 4 dum pariter Marti consulit et Sophiae
 5 et celebrat quisquam tectae commenta Minervae
 6 parva, Ducis Cosmae grandia vera tacet,
 7 Bellonae Cliusque modis insignis Apollo
 8 alterutrum certis, implet opus vicibus,
 9 juncta refert eadem, sub eodem tempore Cosmas
 10 major uter cedit, sed tamen ille Deo.

P_186 v.1 Accipe florigerae princeps et gloria gentis
 2 quae damus audaci, vir Juliane, manu.
 3 Munera sunt (fateor) parva haec, sed pectore toto
 4 aptamus laudes concelebrare tuas.
 5 En canimus nomen quo vel jam notius orbe
 6 est Medices, vivat semper in ore Pila.
 7 Vive, precor, vivas felix, simperque gubernes
 8 submittantque hostes colla proterva jugo.
 9 Sitque virens laurus, semper (quoque gens tua fama)
 10 ornata, et scandat nomen ad astra tuum.

P_187 v.1 Hesiodum, dum pascit oves visisse Camenas
 2 et vatum sacris annumerasse canunt,
 3 armatoque sibi favisse Marullus easdem
 4 humanum supra visque decusque putat,
 5 Ennius in somnis anima informatus Homeri
 6 quas non Pieridum depopulatur opes.
 7 An levius quod tabe gravem stomachique dolore
 8 me quoque per numeros hae coluere suos,
 9 at tribus iis musae felicibus ubera glebis
 10 dura tibi sterilis terga dedere soli.
 11 Zoilus exclamat deliria dicat et aegri
 12 somnia Aristarchus quod probat asserimus.
 13 Ecce senex trahitur Sophocles reus, Oedipus obstat
 14 non ista inquiri condicione meros.
 15 Quis dabit ut lauder ? Quis non dabit, oscus et excors

16 laudare si, te iudice, dignus ero
 17 laudato laudante viro laudabere laudem,
 18 si pro laude satis est meruisse tibi.

P_188 v.1 Nativae genuina luis deliria sanus
 2 emendes et quos habitus contraxerit alte
 3 longa dies rabidique diu grave canceris ulcus ;
 4 Asclepius sis ipse licet natusve paterve
 5 sed tamen Orphei fluvios volucresque ferasque
 6 et silvas et saxa terunt audisse canenti,
 7 et nigrae radicis opem fortitus Ulixes
 8 rettulit in veterem portenta Aeaea figura,
 9 quae quam multa virum laceratis ulcera membris
 10 Paeoniae obduxere manus fide Alcestida laeto
 11 Herculis eripuit laeto soror Aesona Circes.

P_189 v.1 Natus ad ingenii cultus, et ad otia tantum
 2 invalidus toto corpore, lentus, iners
 3 Musarum exedras inter, sanctosque recessus
 4 versabar Sophiae, nocte dieque frequens.
 5 Ecce "Dromeus" fio, nec (...) detrectare laborem (vers lacuneux)
 6 fas fuit, ad palmas te vocitante tuas.
 7 Exsilui invitus, spatiumque annale cucurri,
 8 quale nec in circo currere posset equus.
 9 Quare age defessum placidae jam redde quieti
 10 ultima "anagnosis" sit mihi meta viae.
 11 Meta sit at longi merces pretiumque laboris,
 12 nam grave quod pedibus, non erit hoc oculis.

SYLVA.

P_190 v.1 Quid toties vastae disjectam mole procellae
 2 nequicquam pelago classem, ventisque sinistris
 3 credere vela jubes, et iniquo fidere caelo.
 4 Scilicet Ogygiae fines et regna Calypsus
 5 armisonae jussis Ithaco linquente Minervae
 6 aequorei ratibus Danaum Jovis ira pepercit.
 7 Nec grege demerso comitum cum classe, puella
 8 nudus opem tremula voce imploravit Ulyxes.
 9 Ac placidam nullis cursum turbantibus aevi
 10 luctibus exegit vitam cum conjuge Cadmus,
 11 cognato, generoque potens, sceptrisque nepotum.
 12 Longior Herculeae repetam ne lene quietis.
 13 Otia, et Iliacae ductorem classis opimis
 14 imperiis inter lusus et vina potitum.
 15 Hunc patris, illum opibus fidentem matris avique,
 16 atque utinam tumidi post longa pericula Ponti
 17 poculaque Aeaeae, viroscumque carmina Circes,
 18 post dirum Antiphatem, Sirenarumque canoras
 19 insidias, Scyllamque trucem, rabidaque Charybdim
 20 post Neptunigenas immania monstra Cyclopa,
 21 Alcinoi detur portus, et dulcia mitis
 22 tecta subire domus, ac mox Phaeace relictas

23 surgentem patriis fumum spectare caminis,
 24 optatisque diu laribus tectoque potitum
 25 Penelopes inter lacrimas, et dulcia nati
 26 oscula. Praeteritae narrare pericula vitae,
 27 incertosque olim pelago, terraque labores
 28 constructis ad aquas tandem componere muris.
 29 Invita neque enim Junone, vel Herculis Heben
 30 rara Lycaoniae sperem vel fata Calypsus.
 31 Non eadem nostros agitat Rhamnusia fluctus
 32 (novi equidem) nec summa Deus sic miscuit imis.
 33 Quid mihi cum tanta magnorum luce virorum ?
 34 Quae mens, quae vires, aut quae fortuna meorum,
 35 tot congegit opes nostrumque in nomen ituros
 36 subjecit populos, aut regni evexit honore ?
 37 Privatisque bonis rerum majora paravit.
 38 Ipsa licet magnae soboles Florentia Romae
 39 inter honoratos dederit subsellia Patres
 40 quae galeata tamen flavo mihi lumine Pallas,
 41 quae Venus hinc, quis Bacchus adest, quis rector aquarum,
 42 quisve Tonans, celsa me Juppiter arce tuetur
 43 aut alius tanta superum degente deorum.
 44 Unde ferox variae post tot discrimina pugnae
 45 impetus, et duri tandem furor occidat astri.
 46 Ah mea caelitili genesis damnata sinistris
 47 paulatim crescente malo crescentibus annis.
 48 Ilicet a primo vitae cui limine bellum
 49 indixit fortuna minax, ac more novercae
 50 naturae perstrinxit opes et munera, molles
 51 saeva Cytainis artus aggressa venenis,
 52 et modo praegnantis succo, modo lactis abortu
 53 nunc tenera infidis infecit viscera mammis.
 54 Mutatis toties sesqui nutricibus anno,
 55 i nunc, Herculeae confer discrimina cunae.
 56 Nulla licet thalami postes insederit imum
 57 compressis uterum genili Lucina coercens,
 58 nec geminus tecto illabens invaserit Anguis,
 59 non leviora tamen vincant tolerasse laborum.
 60 Hinc membris non una lues, ac tempore multo
 61 invalidae puero vires, cum triste quotannis
 62 frangeret alternis corpus febris aegra diebus.
 63 Hinc lacrimae teneros, tumor hinc vexavit ocellos.
 64 Tum quartana gelu fessum confecit et aestu.
 65 Mox capitis stomachique graves ventrisque dolores
 66 nunc omnes pressere simul, nunc quisque vicissim.
 67 Nec mora, nec requies. Hydrae, cum more feracis
 68 plurimus excisso capiti succresceret haeres.
 69 Non tamen ingenii vires et robora mentis
 70 his cessere malis, sed mos quae discere parvis
 71 aggressus facili captu cursimque peregi,
 72 monstraras promptus legere, et rescribere voces,
 73 tum quas, ingenium fratris dum demoror aegrum,
 74 attigeram ignaro Latias genitore Camenas.
 75 Ipsius indulsit pietas vultuque sereno
 76 naturae summum esse nefas obstare profatus,
 77 inceptis praestare dedit, vulgique relictis
 78 sordibus, ingenuas amplecti ardentius artes.

79 Tum repetita novis avibus patria omina functus
80 acrior Ausonidum feror in penetralia vatum.
81 Nec minus haud frustra Graiae facundia linguae
82 pertentata mihi, cum jam discordia demens
83 panderet Hesperiae, Gallis fatalibus Alpes,
84 arsuosque diu late succenderet ignes,
85 atque eversuras regnorum culmina flammis.
86 Dis grates, neque privatae pressere ruinae,
87 nec qui praecipites Urbem invasere tumultus.
88 Nam pater, heu, vitae regimen, portusque laborum
89 re male composita, pueris cum matre relictis
90 morte fere subita occiderat, Respublica discors
91 civiles inter gladios, et Gallica tela,
92 ancipiti novitate duces formamque regendi
93 mutarat statura brevi fessamque premebant
94 publica privatis comixta pericula curis.
95 Ut diversa ratem diverso flamina tractu
96 corripiunt, jactantque salo, pendentibus undis
97 jam mergi, jam jamque putes, illa impete certo
98 exsilit, et portum non exspectata revisit.
99 Consumptus fati vires, et robur iniqui
100 credideris, fessamque malis Rhamnuntida, tandem
101 aut puduisse meorum aut paenituisse malorum,
102 praecipue sexti cum sub primordia lustris
103 Aonios inter proceres aspexeris albo
104 conscriptum geminae titulos meruisse Minervae,
105 multiplices Patriae ambages variosque juventae
106 solventem nodos, et Graiae aenigmata linguae
107 mox etiam primo labor additus alter. Ut idem
108 adjicerem Argolicis Romana poemata Musis,
109 interpretes pariter Danaae Latiaeque Camenae.
110 Illa truces animos et pectora tincta veneno,
111 arte tegens graviora nigro sub corde coquebat.
112 Exactura brevi longum pro munere fenus.
113 Interea dum bella parat saevisque cruentos
114 cotibus exacuit gladios armatque veneno,
115 arridet facilemque meis dat cursibus auram,
116 certius incautum conjectis undique telis
117 quo premat. Et fossis transverberet ossa medullis,
118 effuso donec tabescant sanguine venae.
119 Sic malus arcanis vitae penetralibus humor
120 incubat et nullo subcrescens indice virus
121 praesignans, tacitis sensim mox viribus auctus
122 erumpit totumque uno domat impete corpus.
123 Paeoniae vincuntur opes, spes una deorum.
124 Ergo ubi collectum robur viresque paratae
125 infremit, infandosque ciens horrenda tumultus
126 semirutam notis invadit partibus arcem.
127 Et quae jam vario tentarat lumina nixu
128 aggreditur, facillique manu labefacta cecidit.
129 Nam qui impune solent pueros contingere morbi
130 oppressere gravi juvenem discrimine vitae,
131 alteriusque oculi lucem infecere tenebris.
132 O utinam medici vitio, quos paene subivi
133 tunc manes adidisse datum, vinclisque solutus
134 corporis aethereas penetrasset spiritus auras !

135 Quas ego quas animae labes, quae tristia durae
 136 pondera, quae miserae vitassem incommoda vitae ?
 137 Quos gemitus ? Et quae mutanda pericula laeto.
 138 Solvissent mihi justa piaae cum matre sorores
 139 et fratres simul et cognato sanguine turba,
 140 pubentes miserata genas floremque juventae,
 141 et quas quisque sibi conceperat indole rara
 142 non exspectata abruptas spes morte gementes.
 143 Quo miser evasi tandem (quo longius aegrae
 144 produxi infelix spatium miserabile vitae.
 145 Nempe ut parta gravi et longo congesta labore
 146 perderet una dies, nempe ut miserandus et hosti,
 147 proh dolor. Invisis damnata fronte tenebris
 148 maternas inter furias fratrumque rapinas
 149 horrida Phineae paterer convivia mensae.
 150 Expertus tragico non inferiora cothurno
 151 invisus superis invisus manibus orbis.
 152 Cui neque luce frui placida, nec morte liceret.
 153 Pendenti fines juxta vitaeque necisque
 154 haud dubia ratione neci vitaeque propinquo.
 155 Sume triumphales curru, Rhamnusia, cultus.
 156 Pande alas tuque ipsa tuis te protege pennis
 157 picturata gravi vestis procul ardeat auro,
 158 auro ingens solido rutilet gemmisque corona ;
 159 sceptrata gerat baccata manus comitetur ovanti
 160 livor equo aut curru potius gestetur eodem,
 161 quem suprema trahat bis quattuor India barris.
 162 Candida cognatae circumstent agmina turbae,
 163 praecedat nitidis fulgens exercitus armis
 164 et quae laurigeros comitatur pompa triumphos,
 165 praeda tropaea duces tituli cum gentibus urbes
 166 quaque iter est festis velentur compita sertis.
 167 Hinc illinc aulea tegant pendentia muros
 168 caerulea Phoebaeos excludant vela calores
 169 floribus et Cilicum spirent spectacula nimbis.
 170 Hi Capitolinas transi, super altior arces
 171 hi dictrix tumidumque alto caput insere caelo
 172 parta tibi ingenti victoria digna triumpho
 173 quem Libyes Asiaeque duces, quem turba quiritem
 174 Europaeque potens et totus nesciit orbis.
 175 Scilicet egregiam laudem et spolia ampla reportas
 176 gloria magna tibi et nomen memorabile partum,
 177 si tot ab insidiis toties, tot ab hostibus unus
 178 usque domi, usque foris per lustra novena petitus.
 179 Cui nihil in tenebris certum nihil undique tutum
 180 dat tandem tibi saeva manus, pro dedecus ingens,
 181 pro pudor et nullo vecordia cognita saeclo,
 182 semineces artus et membra trementia laeto
 183 infelix manesque umbram insectaris ad imos,
 184 sed quo non longos confert producere questus.
 185 Quid juvat insanis caelum lassare querelis ?
 186 Contrahe vela domi tacitoque in pectore versa.
 187 Quid ferat ipsa dies neque enim dum vita superstes
 188 desperes lapsis meliora movetur in horas ?
 189 Instabilis vario rerum vix crimine cursus
 190 summa repente imis miscens atque ultima primis

191 turbidus exoriens picea caligine Phoebus
 192 saepius Hesperias purus descendit in undas
 193 quodque procellosis servet modo fluctibus aequor,
 194 credita tranquillo reddet mox carbasa porto
 195 et quem calcarunt inopum vestigia pulvis.
 196 Sublimis vento celsas ascendit in arces,
 197 quid vehat ignoras sero tibi lumine vesper.

ANDREAE DACTII SYLVA
 CUI TITULUS VIRBIUS IN LEONIS X. PONT. MAX. LAUDEM ENARRATA.

P_191A v.1 Invia Cecropiae rimatus pascua silvae
 2 Hippolytus rapidos arte regebat equos,
 3 ecce ferum tristi tollens caput aequore monstrum ;
 4 eminus absorptas ejaculatur aquas ;
 5 discurrere feri subito terrore jugales,
 6 disjectis radii dissiluerunt rotis,
 7 concidit, et fracti discerptus pondere currus,
 8 frena tenet lacera sanguinolenta manu.
 9 Astitit, et fotum gremio Dictyna pudico
 10 Asclepi sacros protulit ante pedes :
 11 "Si quid, ait, merui, si quid potes arte medendi,
 12 hoc age, et in puero me mihi redde nepos."
 13 Plura dolor vetuit, sensit, purgansque fovensque
 14 vulnera, Paeoniae suscitavit artis opem.
 15 Mens redit, et vires ; fruitur dulcedine vitae
 16 Virbius, arridet terra polusque deo.
 17 Virbius ecce recens medicis petit aera succis,
 18 concipe laetitiae Calliopaea modos.

P_191B v.1 Quicquid ab archiva crescentis origine Mundi
 2 qua se cumque coli pulsus humus annuit undis,
 3 senserit humane discors sollertia mentis,
 4 arbitrii secunda Jovis. Cum miscuit imis
 5 summa, laboriferi manus ingeniosa Promethei,
 6 vel cum jactatis induruit aemula saxi ;
 7 Deucalionaeae post udae pericula cymbae,
 8 unius immensi molem mihi temperat orbis
 9 vis, et mens, et amor, nullis obnoxia causis
 10 majestas aeterna Dei. Qui cuncta creavit
 11 omnipotens, qui cuncta movens immobilis implet
 12 immensum, quod fecit, opus. Nec cernitur ullis
 13 cuncta videns, causa ipse sui, seseque beatus.
 14 Non minor arcanis aeternitatis in antris,
 15 ignotaeque diu per longa silentia noctis,
 16 cum fecunda sacra concepta reconderet alvo ;
 17 nec major post lucis opes tenebrasque rebelles,
 18 sidereosque globos elementaque grandia, formis
 19 alternata suis, mixtisque animata figuris
 20 corpora, tergemini pugnancia semina Mundi,
 21 ad numeros librata suos. Quo tempore primum
 22 divitias proferre sinu roburque potentis
 23 invictum monstrare manus largumque benignae
 24 mentis opus placitum, seque indulgere creatis.

25 Sponte sua nullo penitus cogente, sed ipse
 26 naturae poscente bono, penetralibus altis
 27 omniferam laxare penum, signataque longum
 28 horrea et immensos aeternae molis acervos
 29 venturis larga populis effundere dextra.
 30 Ergo ubi materies nutu concepta jubentis
 31 emicuit formaeque decus digesta recepit ;
 32 ille poli metas fulgoribus, ille profundis
 33 manibus et medii posuit cultoribus orbis,
 34 staturasque dedit aeterna in saecula leges,
 35 et defecturum non ullo tempore foedus.
 36 Quid mihi Threicii casum commentaque alumni
 37 vana refers ? Atomosque leves rebusque creandis
 38 semina, diversis temere occurrentia formis.
 39 Nonne ubi non ullis per inanes partibus auras
 40 componunt ramenta modis coeuntia miris,
 41 flammiferos Phaetontis equos et cornua Lunae,
 42 atque ipsum immoto qui sustinet omnia Gyro :
 43 ultimus immensi (si fors tulit) ambitus orbis
 44 jam duplicem, jam multiplicem spectare licebit,
 45 et centum gemino crepitare tonitrua caelo,
 46 sed vacuo, mollisque Jovis descendere fulmen
 47 imperiis, vanaeque deos formidinis umbras.
 48 Nonne poetarum variis insomnia monstris
 49 praetulerim, chaos obscurum nitidumque Phaneta.
 50 Quaeque sub Aoniae cecinit fastigia rupis,
 51 in tempesta senex qui moenia provehit Asbrae.
 52 Pierias vidisse ratus sibi adesse sorores.
 53 Quae Linus et cithara polles in collibus Orpheus
 54 Ismariis Rhodopesque jugis et saltibus Hemi,
 55 suetus aquas cantu volucresque ferasque morari,
 56 et saxa, e rigidis silvis diducere quercus.
 57 Infelix, frustra sacris imbutus Iacchi.
 58 Et frustra Eurydicen frustra infera regna secutus,
 59 qui Ciconum thyrsos contortaque saxa, canora
 60 non potuit mulcere lyra ; licet aequoris iras
 61 flexerit, Haemoniae moderatus transtra carinae.
 62 Adde alios vates et primae nomina famae,
 63 Maeonidem irasque deum pugnasque canentem,
 64 captivumque Jovem, pulsi post arma parentis,
 65 Titanasque truces, conculcatoque pudore,
 66 nil non permissum Veneri, scelerique doloque.
 67 Tum duris fati jussis manesque virosque
 68 caelicolasque ipsumque simul parere Tonantem,
 69 aurea nexilibus cum vinciat orbibus Orbem
 70 in sese rediens aeterna ambae catena.
 71 Unde (tuo siquid fidei Trojana magistro)
 72 hispida torpentes induxit porticus umbras
 73 inflexumque animi robur concepit in omnes
 74 affectus hominemque suis sibi vendicat armis.
 75 Atque alias alius pro captu mentis eisdem
 76 fontibus haurit aquas, ut quisque cupidine famae
 77 fertur, et inventi gestit novitate superbus
 78 dogmatis, abducto quorum Natura recessu
 79 textit et ingenii causas indagare cinxit.
 80 Jamque Thales undis rerum primordia ducit.

81 Igne Samornei proles tenebrosa Blosonis.
 82 At tibi nec Siculos ignes, nec dira timenti
 83 fata, deum dum queris iter tenuisse videri
 84 non nihil alterno discordia gignit amori.
 85 Quo tamen humani deliria pectoris usque
 86 prosequar ? Et veteris taetras caliginis umbras
 87 immensum curta Pelagus cohibere matella
 88 nitentis superasque domos arcemque Tonantis
 89 lucis inaccessae lutea componere testa ?
 90 Scilicet angusto tenebrosi carceris antro
 91 igne Prometheae tellus animata rapinae
 92 intima flammiferi penetralia concipit Orbis
 93 adversante deo. Quod si felicior aura
 94 fulxerit, exemplo rursus patrioque, suoque
 95 Juppiter aetheriae depulsus sedibus aulae
 96 excidet, ammissis nec jam Saturnus habenis
 97 unus Acherosii tabescet compede ferri
 98 sordibus et canae foedatus tegmine barbae.
 99 Ipsa licet vastae fidentem robore molis
 100 Aegaeona Thetis discordibus inferat astris.
 101 Enceladique tremat concussa vaporibus Aetna.
 102 Impia Phlaegraeae referens vestigia pugnae.
 103 Post trepidae commissa fugae mollisque latebras
 104 Aegypti ? Quid enim soboles humana refugit ?
 105 Quod non ausa nefas ? O primae mentis imago
 106 dissita tergemini nectens confinia Mundi,
 107 mole brevi, formante Deo ; sublimia magni
 108 nata subire Poli ; dubio fastigia cursu,
 109 diversas sortita vices, dum libera nexu
 110 sponte sua nullo fertur cohibente voluntas.
 111 Alterno varii jactata cupidinis aestu.
 112 Ne tamen hinc multum placeas tibi, neve superbos
 113 tolle animos, laetis neque enim dum pascitur herbis,
 114 dum liquidas exhaurit aquas, dum buccula Taurum
 115 sustinet et Pecudes Aries, olidusque capellas
 116 hircus init : praeter mentem pastoris aguntur.
 117 Servandi quem cura gregis sobolisque futurae
 118 ducit Amor ; pecoris sed enim Venus ipsa Magistro
 119 non minus ad votum est quam cum caliginis umbra
 120 siderei convexa poli cinxere tenebrae :
 121 imbellem validis gentem defendere saeptis.
 122 Raptores ne forte Lupi, ne turbidus Iber
 123 obfuerit, gelidique ruens injuria caeli.
 124 Scilicet omnipotens immensi conditor Orbis
 125 naturae cum jura daret, rebusque creatis,
 126 tum primum fines certos et foedera nullas
 127 fortunae passura vices imponeret altis
 128 sideribus, numerisque suis elementa moveret ;
 129 et volucrum natuque genus pecudesque ferasque,
 130 silvarumque comas, fruticesque et graminis herbas
 131 Japetionidae figmentum nobile dextrae
 132 neglectum sine lege putes ? Quo sidera certis
 133 temporibus metusque Poli ratione feruntur,
 134 alternant elementa vices humorque calorque,
 135 torpet hiems gelidis Boreae concreta pruinis.
 136 Ver tepidis humescit aquis Hyperionis aestas,

137 ignibus usta riget, gelidis crepat aridus Euris
 138 autumnus. Fetusque novi solacia terris
 139 collectas inducet opes, quas matris in alvo
 140 bruma fovet. Zephyrus tepidis enititur alis ;
 141 sic alternatis diversi mensibus anni
 142 aucta cadunt redeuntque suis stata tempora rebus.
 143 Naturae ducente manu ? Pars optima rerum
 144 quas oculis spectare datum, ducis indiga tristi
 145 libertate perit varioque cupidinis oestro,
 146 qualis Tisiphones agitata furoribus Ino
 147 desilit. In praeceps unaque amplexa ruina
 148 seque suosque trahit. Quo turbine pectoris amens,
 149 quo ruitis mortale genus ? Quibus icta flagellis
 150 turba furis ? Quis corda deus ? Quae versat Erynnis ?
 151 Tune tuis aeterna putas praevertere magni
 152 consiliis decreta Jovis ? Quibus ordine certo
 153 magna renidentis torquetur machina Mundi,
 154 vel sensu, vel mente capax. Ut molibus ipse
 155 spiritus, infernis praebent sublimia rebus.
 156 Illa quidem, nullo penitus nutantia casu
 157 aeternos visura dies : haec inscia certo
 158 stare loco ; fetusque novi subnixa tigillo
 159 quae diversa modis in se coeuntia miris
 160 gens hominum Augustae nectit sub imagine formae ;
 161 nata deum penetrare domos et fulgida caeli
 162 sidera, dum memores caelestis originis annos
 163 exigat, imperio non adversata Tonantis.
 164 Ipsa sibi discors, pugnantibus undique rerum
 165 seminibus : quam luxus iners et dira cupido,
 166 quam tumidi fastus animi caecique furores
 167 praecipitem stimulis agitant, si frena voluntas
 168 excutit et victa passim ratione vagatur.
 169 Arbitrio furibunda suo, velut obice rupto
 170 praecipitant torrentis aquae convulsaque ab imo
 171 roboraque scopulosque trahunt ; vel pulvere campi
 172 indomiti spatiantur equi, cum rector habenas
 173 deseruit viduoque labant temone quadrigae.
 174 Inde truces animos, et nescia cedere recto
 175 pectora, et insanas agitatae mentis Erinnes
 176 induimus, quales nigri post Tartara Ditis
 177 Alciden egere Canes. Vel sanguine nati
 178 Eumenis Ogygiae dextram maculavit Agaves.
 179 Utque Thyestiades tragicos Agamemnone caeso
 180 inflavit lituos, gladio casurus Orestis.
 181 Colchis Jasonios de se cum pellice natos
 182 sustulit, Haemonii post fata miserrima regis.
 183 Sic damnata fero moliti regna Creonti
 184 Oedipode, pereunt per mutua vulnera fratres.
 185 Amissisque senex generis tabescit Adrastus.
 186 At Paris Oebalias furtim populatus Amyclas
 187 laetus Acidaliae sequitur dum munera divae,
 188 Idaeis promissa jugis, cum Palladis artes
 189 nuda Venus Junonis opes se judice vicit.
 190 Europen Asiae furialibus intulit armis,
 191 Dardanaque Argolicis evertit Pergama flammis.
 192 Exsul ut emensis post multa pericula Ponti

193 Aeneas, Latio fatis melioribus urbem
 194 conderet, et magnae strueret primordia Romae
 195 gentis Iuleae superos aditura triumphis.
 196 Ad ripas, Tiberine, tuas nec lustra ferarum
 197 obstiterint, nec saepta rudi magalia culmo
 198 pastorumque manus collectaque Martis asylo
 199 colluvies, Italae scelerum damnata juventae ;
 200 quominus Aeneadum late succumberet armis
 201 terra, cruentatis Macedum concussa sarissis,
 202 cujus Achaemeniis liverent terga flagellis
 203 Medorumque notis, postquam Babylonia Susis
 204 cessit et Assyriae cecinerunt moenia Nini.
 205 Tum demum meritas temeratae solvere pacis
 206 jussa vices, quae prima feras in proelia turmas
 207 eduxit, populosque rudes et nescia belli
 208 pectora, praeteritae nequicquam tempore vitae
 209 libera, ferre jugum. Et Martis terrore coegit
 210 servitiumque pati sic alternata vicissim
 211 gaudia miscentur lacrimis et tristia laetis
 212 ima petunt sublime ; ruunt in Tartara, summo
 213 quae steterant suprema loco gentesque per omnes
 214 arcanis versata modis, hominique negatis
 215 ancipiti levitate fluunt. Velut ultima Tethys
 216 Oceani refluo quae concutit aequora fluxu,
 217 quas Scyllae versat rabies aestuque furenti
 218 sorbet in abruptum rursusque sub astra Charybdis
 219 ejaculatur aquas. Neque enim cognovit ibidem
 220 stare diu quicquid sensus mens concipit haustu
 221 consiliis, Rex magne, tuis, quibus ignea mentes
 222 astra movent, elementa regunt mixtaeque caducum
 223 molis opus, non lege quidem quam dixeris unam
 224 diversa tamen esse neges, cum consona rerum
 225 naturae sint jura ; lyrae ceu fila canorae
 226 concordēs vocum referunt discrimine cantus.
 227 Nam licet ancipitis variante cupidinis aestu
 228 huc olim referamur et huc animoque petamus
 229 diversis diversa modis, ut quisque videtur
 230 velle sibi, penitusque suis accedere votis ;
 231 non tamen immensi fines consultaque regis
 232 evasisse datur : cordis secreta tenentis
 233 arbitriumque animae. Qui quamvis cogere possit
 234 invitos durisque feros urgere lupatis,
 235 allicit interdum tamen, et dulcedine captos
 236 quod voluit, nos velle facit, facilique ministros
 237 imperii trahit arte sui, seu turbine belli
 238 collapsos mores corruptaque saecula turpi
 239 luxuriae risusque feros oblitaque recti
 240 pectora, et insanas scelerum contagine gentes
 241 ad frugem revocare juvat ; seu reddere paci
 242 sparsa cruore virum saturataque caedibus arva
 243 et jam paene suis viduas cultoribus urbes.
 244 Saevaue Barbaricis tela extorquere lacertis,
 245 confectumque malis senii gravioribus orbem
 246 rursus in integrae faciem renovare juventae.
 247 Tristia Tartarei cohibentem monstra profundi
 248 in latebras tenebrasque suas quibus aetheris ignes

249 puraque flammiferi pallerent lumina Phoebi.
 250 Lucidus imbriferis aer tenebresceret austris.
 251 Aequor hiems, terras quateret, gladiusque famesque
 252 morborumque lues, gelidae contermina morti.
 253 An referam veteres casus regumque ducumque ?
 254 Eversasque urbes recidivaque moenia, molles
 255 Assyrios Medosque truces Persasque superbos,
 256 et fortunatas Macedum cum rege catervas.
 257 Romulidumque graves animos ? Quod Gangis et Indi
 258 regna ? Quid Aethiopum Niloque admota tepenti ?
 259 Quid memorem Poenosque truces Maurosque cruentos
 260 Bethim et adversis Rhodanum Rhenumque fluentis
 261 Albin et Euxinas Istrum qui temperat undas ?
 262 Quid Thanaim Scythicasque nives, et vellere Phryxi
 263 nec minus insignes Argus certamine Colchos ?
 264 Nam quid Palladias arces Spartamque ? Quod Argos
 265 aut Thebas, celebresque alias scriptoribus urbes
 266 Graiorum ? Pelopis quas insula sustinet et quas
 267 Creta, Rhodos, Cyprus, semotaque Doridis undis
 268 Epirus, rerumque potens olim Itala tellus ?
 269 Nil opus a prisco repetitis testibus aevo
 270 nil versare manu veterum monumenta : supersunt
 271 ante oculos, interque manus cedentia nullis
 272 majorum, et contenta suis exempla periclis.
 273 Nam velut infesto surgentibus aequore monstris
 274 decepti post vota patris. Fraudemque novercae
 275 Hippolytum trepidae lacerum traxere quadrigae
 276 excussu temone feri, cum lora tenerent
 277 in media jam morte manus, tractuque rotarum
 278 confusi fractis taberent ossibus artus :
 279 ecce ruens Latiae ruptis compagibus aulae
 280 ambitione ducum. Stygiae livore furentum
 281 Tisiphones, Italae penetravit viscera terrae
 282 barbarus, Ausonias ferro flammisque cruentus
 283 depopulatus opes. Miseri quid funera vulgi ?
 284 Quid lacrimas, quid vincla querar ? Veneremque cruentam,
 285 et gravius laeto vitae genus ? Impius hostis
 286 nil templis arisque dedit, commixta profanis
 287 sacra simul pereunt, sed enim per singula rursus
 288 ire piget, veterisque notas renovare doloris
 289 vulneraque obducto vix dum coeuntia rictu
 290 incerta refricare manu, perferre coacti
 291 quicquid Barbarici norunt commenta furoris.
 292 Perfidus Herculeae quae nec post fata Sagunti
 293 Hannibal, Hesperiae furialibus intulit armis.
 294 Quos Marius stravit populos, quos dextra Camilli,
 295 non Gothus ira Dei, trucibus non mitior Hunnis
 296 Vandalus, et longe sortitus nomina Bargae.
 297 Et jam paene feris subdebat colla catenis
 298 Roma, paludosae casu disjecta Ravennae
 299 instantisque metu, desertis moenibus hostis.
 300 Nam veluti dita Cannarum strage Terenti,
 301 Varro, fugis, Libycae percussus vulnere dextrae,
 302 Paule, jaces : proh fata, ducum sic effugit alter
 303 ipse feros inter gladios tormenta que tutus
 304 cura deum magni Medices legatus Iuli

305 Celtica captivis passurus vincula palmis
 306 ecce trahebatur. Summi cum rector Olympi
 307 tum demum clades Italas miseratus ab alto
 308 defixit terris oculos propiusque labores
 309 despexit gemitusque virum dein talia secum.
 310 "Hactenus Ausoniae fas insultare jacenti,
 311 Galle, tibi que pergis ? ait. Victoria rebus
 312 terminus ista tuis ; jam jam concedere victo
 313 victorem atque Itala jubeo discedere terra.
 314 At tu, magnorum proles generosa parentum,
 315 dura pati ne vincla time : labor ultimus hic est.
 316 Jam patriae reddere tuae Latioque potitus
 317 impia seminecis medicabere vulnera terrae
 318 tristis in auricomam faciem renovabitur orbis
 319 auspiciis opibusque tuis. Hinc astra subibis
 320 tranquilla jam pace, senex, hoc ordine rerum
 321 (ne dubita) te fata manent pectore forti
 322 jussa subi rebusque datis par indue robur."
 323 Haec ait, et nutu caelos terrasque movebat.
 324 Ad mentis secreta suae res verba secuta est
 325 continuo rapidas pedibus Cyllenius alas
 326 nexus adit terras. Turbataque pectora mulcet
 327 Ausonidum, casusque gravis medicamina monstrat
 328 tot victis superesse equitum peditumque catervas
 329 tum magno constare hosti vicisse, tot haustos
 330 ense viros, ipsumque ducem cecidisse sub armis.
 331 Hinc movet Alpinas gentes Germanaque castra.
 332 Inde Caledonios excitat ad arma Britannos.
 333 Interea miserae furiis agitata Ravennae
 334 Celtarum fera castra labant Stygiisque tenebris
 335 circumfusa ruunt ; peditum nam sponte solutis
 336 agminibus desertus eques. Tum Panicus haeret
 337 mentibus et late volitans quatit agmina terror.
 338 Ergo abeunt retroque pedem vestigia torquent
 339 victores partasque malis et caede suorum
 340 deseruere fuga nullis instantibus urbes.
 341 Et jam Flaminiae saltus camposque legebant
 342 Aemiliae, jam rura Padi stagnantia rivis.
 343 Tum delecta cohors gelidas properabat ad Alpes
 344 captivos, Medicemque trahens jamque arva tenebant.
 345 Jam ripas, Ticine, tuas scelus unda refugit ;
 346 obstupuit tremefactus equus gressumque repressit
 347 non stimulis, non ille feris calcaribus audit.
 348 Ecce autem, ducente Deo, vicina sacerdos
 349 templa colens, raptis villae cultoribus instat
 350 vix uni metuenda manus. Fugere regente
 351 custodes, qua quemque pavor, qua casus adegit
 352 armati cessere togae, paucisque frequentes.
 353 Illa dies Italae confregit vincla catenae
 354 munere clara Dei : cum te, pater optime, juri
 355 restituit fortuna tuo. Tunc omnis adempta
 356 spes Latii concepta soli Galloque negatum
 357 Hesperiiis considerare agris Alpesque remensus
 358 ipse domi timuit conversi vulnera Martis
 359 Celtica belligero dum fervet terra tumultu.
 360 Interea Latiae decoratum fascibus Aulae

361 te patrio tandem gremio Florentia cepit.
 362 Illa quidem multo veterum splendore tuorum
 363 nobilis, et pulchro magni moderamine Cosmae
 364 militiaeque domique potens, tum mitibus actis
 365 clara Petri magnis sublimis ad astra triumphis
 366 Laurenti subvecta patris, qui plurima quamvis
 367 pace, domi, belloque foris pulcherrima gessit,
 368 agnitus Hesperiiis Laurentius agnitus Indis
 369 ad Boream mediumque diem celebratus honestis
 370 Pieridum numeris, clarus moderamine princeps
 371 ingenui constans animi nullique secundus
 372 consiliis, virtute potens linguaque manuque
 373 et gravibus decorare jocos, et seria ludis.
 374 O summo mens plena Deo, tot dotibus una
 375 multorum complexa decus, quam pectore fas est
 376 concepisse magis quam promere tu tamen ipse
 377 quamlibet egregius animi virtutibus urbi
 378 utilis, hoc uno superas tua, teque, beatus
 379 prole sacra multum tibi se debere fatetur
 380 inclita multarum Florentia nomine rerum,
 381 nec grates meminisse piget puduitque referre
 382 viventi cinerisque rogo memorique sepulchro.
 383 Qua licuit. Meritis ut quas non dixeris aequas
 384 esse putes aliquid, nec dedignere mereri.
 385 Quae tamen ob sobolis meritum tibi praemia reddat
 386 non sensu, non mente capit. Caelestibus impar
 387 divitiis ? Quis digna Deo, quis praemia solvat ?
 388 Mortali nec posse datur, nec scire. Quis autem
 389 velle neget ? Liquidum ceratis aera pennis
 390 dumsecat et propius vicinos appetit ignes
 391 infelix pelagi submergitur Icarus undis.
 392 Daedalus Ausoniae libratis occupat alis
 393 litora, Cumaeae quondam sacrata Sibyllae.
 394 Vectus equi pennis dirae post fata Chimaerae
 395 Bellerophon, Superum nixus penetrare recessus
 396 concidit : effuso disfracta per ossa cerebro.
 397 Persea Gorgoneae referentem colla Medusae.
 398 Arva super Lybiae sitientibus arida glebis
 399 Pegasus incolumem patrias adduxit in oras.
 400 Thesea Tartareae vinctum cinxere catenae
 401 Pirithoique manus, superas remeavit ad auras
 402 Alcides, praedamque trahens, hos justa movebat
 403 causa viros, illos sed enim scelerata cupido.
 404 Et tumidi fastus animi spernaxque deorum
 405 contemptus, tua me pietas patria inclita amorque
 406 fortunae jubet oblitum morbique prementis
 407 laeta serenato modulamina condere vultu
 408 in generis commune decus. Tu nomine tanto
 409 digna mone, cujus nutu Florentia primo
 410 nobile tergeminae meruit diadema coronae.
 411 Tuque adeo tantae sortitus pondera molis
 412 caelicolum pia cura Leo, quem summa Tonantis
 413 dextra suas praestare vices terrisque potiri
 414 jussit, et immensi laxare repagula mundi
 415 huc ades, et trepidae dexter rege vela carinae ;
 416 auspicio commissa tuo tibi summa profundi

417 rudit, et extremas tumidi legit aequoris undas,
 418 tu rector, tu causa viae, te praeside nullas
 419 horret aquae caelive minas, da (siquid amoris
 420 cura gravis patriumque decus pietasque meretur
 421 mensque uni devota tibi), da numine dextro
 422 litus et optati navalia tangere portus.
 423 Vos quoque magnanimi felicia sidera fratres
 424 consortes tantorum operum tuque optime magni
 425 nomen avi referens et primo flore juvenata,
 426 non rebus, non mente minor mihi numinis instar,
 427 laure, nascentis concordia semina mundi
 428 ferte pedem faciles vestraeque assistite castris
 429 militiae, nam vestra cano Decimique Leonis
 430 Pontificale decus generis communia vestri
 431 stemmata quamquam olim (vitae modo fila supersint
 432 sit mihi perpetuos carmen condatur in annos),
 433 indicto per me vestrum nulli esse licebit
 434 nec vos parva manent merita praemia laudis.
 435 Nunc age, Pieriae cursum repetamus arenae,
 436 Phoebe parens. Magnique Jovis generosa propago
 437 Aonides. Quid enim vestro speremus inertes
 438 praesidio cessante Deae? Vos incita Cirrhae
 439 pectora et insani lymphis agitate Lyaei.
 440 Ipsa pares animos tantis mens ardua rebus
 441 concipiat nec lingua potens conceptibus altis
 442 defuerit, trepido sed enim praecordia versat
 443 Delius, et numeris formata potentibus Euan
 444 arbitrio movet ora suo subigitque profari.
 445 Effera sanguineis gaudens Bellona quadrigis
 446 jam prope ter senos Latium vastaverat annos
 447 Barbarica feriente manu. Quo tempore primum
 448 impia turbatas discordia perculit urbes
 449 Ausoniae, rupto tranquillae foedere pacis.
 450 Consiliis miserande tuis, quae tristis Erynnis
 451 Insuper, aut furiis violentior ambitus atris
 452 impulit, amotos naturae finibus hostes
 453 sollicitare auro praedaeque cupidine ductos
 454 sponte fovere sinu, quo regni dira libido.
 455 Quo mentem scelerata trahis? Tibi pulchra ruinae
 456 Parthenope grates tibi praemia debet Olanum
 457 excidii cumulata sui, Venetusque Ligurque
 458 quicquid in Hesperios hausit fortuna colonos
 459 muneris, exemplique tui est. Hinc fluxit in omnes
 460 pectoris atra lues. Tractu velut aeris olim
 461 corrupto, dira serpit contagine pestis,
 462 cumque suis pereunt armenta gregesque magistris.
 463 Pastor opemsi ferre neget spernatque mederi,
 464 disce tuis contenta bonis traducere vitam
 465 gens hominum, nec te discordibus auferat ausis
 466 ambitus et regni per crimina saeva libido,
 467 crede deos fandi memores dirasque nefandi
 468 ultrices, et quae latebras arcanaque cordis
 469 semper ubique vident, non coniventia somno
 470 lumina justitiae nec nigri occulta veneni
 471 pocula, nec noctis tenebris agitata latebunt
 472 concilia in medio ponentur ut omnia campo.

473 Quid tibi Barbaricis miscere tumultibus omnem
 474 profuit Italiam ? Tristis quid casus amicae
 475 Parthenopes ? Emptor scelerum venum datus idem
 476 exemplis cadis ipse tuis, nec criminis haeres
 477 auspicio partis fruitur meliore, tot urbes
 478 eversae, tot regna, feri tot vulnera Martis,
 479 tot fortes amissae animae, tot caedibus arva
 480 pingua, tot Latio squallentes sanguine campi
 481 saeva tuo de fonte cadunt ignara quietis
 482 ambitio, tumidi proles vesana Typhoei
 483 eversura polos et nigri Tartara Ditis.
 484 Si propius conferre manus et tendere contra
 485 vincla sinant ferroque graves seraeque manusque
 486 infelix mortale genus tibi compede soli
 487 exuitur, manicisque vacat, dirasque sorores
 488 excitat et totis in proelia viribus ardet
 489 illa quidem Latiae properabat fata ruinae.
 490 Jamque videbatur facibus gladiisque paratis
 491 extremum sortita diem, cum dextra Tonantis
 492 obstitit, et miro subeuntibus ordine rebus
 493 improvisa tulit lacero medicamina mundo.
 494 Expertum tamquam rigidis fornacibus aurum
 495 adversis laetisque virum quem tristia nullis
 496 invictum flexere malis, quem prospera numquam
 497 oblitum videre sui partisve minorem
 498 fortunis, summo positum sed culmine rerum
 499 ad majora putes animi splendore creatum
 500 hunc Pater omnipotens aeterni legibus aevi.
 501 Promissum Latii columen rerumque salutem
 502 cum procul ex alto venturae fata ruinae
 503 cerneret, aetherias in tempore protulit aures ;
 504 deque tot Italiae populis atque urbibus una
 505 diligeris, Tuscae princeps, Florentia palmae
 506 arcanis dignata Dei. Tu conscia magni
 507 pignoris, et tanti nutrix celebraris alumni.
 508 Quanta nec Ogygio jactatur Nisa Lyaeo
 509 nobilis Ida Jovis cunis, et Apolline Delos.
 510 Conceptum tu prima foves, tu matris ab alvo
 511 suscipis et caeli vitalibus imbuis auris
 512 tam clarum sortita decus, nec fulminis ignes,
 513 nec tonitrus ventremque premens Lucina reductis
 514 ad pectus genibus, geminusque a culmine serpens
 515 infeto trepidos conterruit ore parentes,
 516 sed purus sine labe dies nitidusque coruscis
 517 effulxit Titan radiis manifestaue Mundus
 518 signa dedit, magnae ventura in saecula laudis.
 519 Romanaque matre satus, Jovis alite regni
 520 jura capit, Tusci debetur origine patris
 521 relligio pietasque viro ; nec Pallas honores
 522 invidit generosa suos cautoque Promethei
 523 dona deum collecta sinu nascentis in artus
 524 inseruit consulta Themis dominaeque suique
 525 jussa charis nomen felicibus indidit astris.
 526 Praetereo cunas et primae tempora vitae
 527 nutricis commissa fide, nec proxima primis
 528 lustra referre vacat, quamvis nitor indolis ingens

529 a teneris, cuncti spatiis effulxerit aevi
 530 ignis ut arentis correptus fomite taedae
 531 crescit, et injectae superat fastigia silvae
 532 sublimem rapidis diffusus in aethera, linguis
 533 longa tamen summae cupidum praeconia famae
 534 ad rerum majora vocant. Tu parva silenti
 535 da veniam, si parva tamen tua dicere fas est,
 536 summe virum. Cui summa Deus dedit omnia summus
 537 parque annis virtutis opus, sic oris honore
 538 perpetuo insignem doctis inspexit Athenis
 539 Cliniadem flavae miratrix turba Minervae.
 540 Nam gestis et mente tibi quem conferat olim
 541 longa dies ? Cui par gravitas probitasque fidesque
 542 et pietas, animusque senis puerilibus annis ?
 543 Obstupuit quoties obtutu fixus in uno
 544 et pater et fratres, et siquem casus adegit
 545 spectatorem operum nimio splendore tuorum,
 546 hinc puer et vixdum maturo tempore sacris
 547 addictus, primoque Dei cultum induis aevo.
 548 Altius ut teneris animi defixa medullis
 549 haereat aeterni lex intemerata parentis
 550 sed flammae facile alta petunt, declivia fluctus
 551 ducebat virtutis amor, stimulabat honesti
 552 cura simul, laudisque decus. Fastigia natum
 553 summa sequi. Vires animo natura secundas
 554 indulgebat, opem nec tum fortuna negabat
 555 o quoties, nec lingua capit, nec pectora felix
 556 ingenium, felix magnae vis mentis, ad omne
 557 nata decus, felix animi prudentia, felix
 558 quicquid inest utrumque viro : quibus attigit astris
 559 grammaticen. Comitesque duas, numerosque potentes
 560 mensuras, vocumque modos, caelique meatus
 561 ille etiam juris nodos decretaque legum
 562 discussurus erat, et sacris tradita chartis
 563 magnorum monumenta patrum, secretaque rerum
 564 naturae complexa sinu, votoque potiri
 565 fas erat, et Clariae titulos meruisse coronae,
 566 ni superi ad majora vocent. Summusque sacerdos
 567 patribus adscribat lectis sanctoque senatu.
 568 Versatur. Quo summa loco, quo cardine rerum
 569 humanique decus generis. Vix prima notabat
 570 pubentes lanugo genas, poteratque timere
 571 indolis ignarus et tantum conscius aevi
 572 ne tanto non par oneri succumberet aetas
 573 junior illa quidem, sed laevi cana vigebat
 574 mens puero, cani tenero sub pectore sensus.
 575 Talis Amyntiades (sacra sit miscere profanis)
 576 Nicomachi sub prole puer post fata parentis
 577 medica Pellaeis subjecit terga flagellis
 578 non animos sublimis honos, non fastus inanes
 579 extulit, aut oblita sui clementia mitis
 580 parque animo vultus, sermo, cultusque modesti,
 581 tum mores gravitate hilares, tristisque venustas ;
 582 et quod ames gravitas, et quod venereris habebas,
 583 et pudor, et tenera quales in virgine sensus
 584 indole non alia sublimis ab aede palati

585 Scipiades, duros armis pacavit Iberos
 586 Hannibalem Latiis divulgum dispulit oris
 587 Punica Romuleae submisit colla securi.
 588 Tum divina sacri repetebant carmina vates
 589 venturaeque decus maturo tempore laudis
 590 et decantatum triplicis diadema coronae
 591 munera laeta sacri titulo celebrantur honoris
 592 fit plausus, gaudentque patres, gestitque juvenus.
 593 Certavere senes pueris. Victoria nutat
 594 laetitiae, nec Roma suae concedit alumnae.
 595 Interea placidae temerato foedere pacis
 596 impia turbatas discordia dispulit urbes
 597 Gallicaque Hesperiiis immiscuit agmina terris.
 598 Prima mali labes Romana sede potitus
 599 Cantaber ; inde furens caecusque cupidine regni
 600 Insuber admotis poterat tamen artibus ulcus
 601 molliri, vincique dolor, sensimque repressus
 602 sanari. Si docta manus, si lene venenum
 603 ferret opem, magni sed enim praevertere regis
 604 consilium, mentemque nefas, concesserat olim
 605 Parcarum in leges genitor tuus, una salutis
 606 in tantis spes una malis medicinaque rerum
 607 qui foret inspectae meditatatus fulcra ruinae.
 608 Qualiter egregius celsa de puppe magister
 609 astra procul vetosque truces tumidasque procellas
 610 prospicit, et nutu velorum temperat alas
 611 intentos volvens oculos, fragilemque carinam
 612 per scopulos, per saxa regit portuque recondit.
 613 Si cadit, ignarusque subit, clavumque gubernat,
 614 inter turbato summergegitur aequore classis.
 615 Dissensere duces, et qui servare propinquam
 616 nixus erat, vitam pariter regnumque suosque
 617 amittit partoque dolis male fungitur alter
 618 imperio ; atque utinam solos fortuna nocentes
 619 ultra foret ; periire gravis sub mole ruinae
 620 insontes sontesque simul. Quid conquerar ? Aut quos
 621 incusem ? Nec culpa latet, veniamque meretur
 622 iudicio fortuna tuo, per tela, per ignes,
 623 transtulit in Latias Aeneas Pergama terras.
 624 Tot terra, tot passus aqua, vix quattuor actis
 625 Penelopen lustris sollers inspexit Ulixes
 626 expertus quid bella queat, quid monstra, quid undae.
 627 Invidia patriae depulsus sede Camillus
 628 reddidit ingratis obsessam civibus arcem.
 629 Quid multis manifesta sequar ? Jactatur acerbis
 630 caesibus, et fulvum tamquam fornacibus aurum
 631 excoquitur. Quicumque petit majoribus altum
 632 auspiciis populisque parat miranda futuris.
 633 Respice legiferum per mille pericula Mosen
 634 jussa Palestinae confinia tangere terrae.
 635 Dilectumque Deo fidibus Davida canoris
 636 extorrem tam multa pati, sceptroque potitum
 637 temporibus Solymae diademata jungere vitae
 638 te quoque collapsi sanantem vulnera saeculi
 639 caelicolae voluere premi rebusque secundis
 640 expertum, variis durare laboribus altum

641 pectus, ad ingentis sublimia pondera molis.
 642 Hinc, urgente die, laribus discedis avitis
 643 cognataeque petis ingentia moenia Romae.
 644 Tum vero patuere animi sublimia magni
 645 robor, parque sibi caetae sollertia mentis
 646 semper, et a nullo pectus violabile casu
 647 et major, quam quae possit constantia vinci
 648 conatu fortuna tuo, non laeta superbum,
 649 non humilem videre feris adversa procellis
 650 perpetuus, sed enim vitae tenor, omnibus idem
 651 casibus ; et numquam (quantum res ipsa sinebat)
 652 dissimilis. Quam larga manus facilisque petenti
 653 munificos superabat avos nullique negatum
 654 tecta sacrae celebrare domus, dapibusque potiri
 655 hospitioque frui, patriae seu foedere gentis,
 656 seu mage. Multifidae titulis et jure Minervae,
 657 accedebat ad hoc laeti praestantia vultus,
 658 nec minor officii meritis, et mole voluntas
 659 promptior. Et voti velocius impete factum
 660 iis aliisque animos hominum sibi dotibus actos
 661 conciliabat amor, teque ad suprema vocabat.
 662 Jamque adeo Medices gentis splendore superbum
 663 nomen in unius ulnis gremioque vigebat
 664 Romanos inter proceres, penitusque latenti
 665 consilio superum, quod mox effudit in auras
 666 parturiebat opus. Quamvis premeretur iniquis
 667 ponderibus, ceu palma cavi sub fornice saxi
 668 incrementa capit, duri mox robore trunci
 669 nixe solo, tandem superat, lapidemque prementem
 670 perforat et laetis spatiat in aera ramis.
 671 Ipsa quidem primo tardum fortuna movebat
 672 lenta gradum cohibente Deo, tacitisque coquebat
 673 fomitibus tantae latitantia semina molis,
 674 donec ad extremum subeuntibus ordine rebus
 675 perventum, formaeque decus digesta recepit
 676 materies, talis genituali crescit in arvo
 677 arcanis genitura modis sensimque resumtis
 678 viribus, humanos apte formantur in artus
 679 maturusque suis procedit mensibus infans.
 680 Namque a Parthenopes casu Capuaeque rapinis
 681 usque sub Adriacae miseranda cadavera pugnae
 682 otia privata licuit traducere vitae.
 683 Ast ubi per varias clades, Martisque ruinas
 684 conversis regum studiis tentavit Iulus
 685 victores Itala Gallos depellere terra :
 686 cura datur magni magno tibi maxima belli.
 687 Humani quod juris erat, mentisque manusque
 688 confectum. Vires animi, prudentia, virtus,
 689 nil reliqui fecere sibi, et si certa daretur
 690 vincendi spes, certa fuit, sed plurima belli
 691 sors habet et dubio pendet victoria casu.
 692 Obduxere diem nebulae dirumque refugit
 693 sol scelus, et maesto praeseptis lumina caelo ;
 694 cum damnata ferae miscerent proelia dextrae,
 695 o rabies, caecusque furor. Quae gloria tanti,
 696 quae sceleris merces ? Probat exitus acta profecto.

697 Victorem vicisse piget. Victumque vicissim
 698 tristis agit, trepidatque fuga multosque per annos
 699 parta cruore suo campos urbesque relinquit.
 700 At tibi cura deum magnorum maxime patrum
 701 alma dies statura redit, vinclisque solutis
 702 tecta subis patriae, quae te fortuna premebat
 703 Gallorum mutata fovet, gremioque receptum
 704 attollit super astra potens ; sic parvulus infans
 705 exiguis furtim spatiis adolescit ad annos
 706 pubis, et incerto sectantes decipit austu.
 707 Ast ubi maturo jam tempore fortior aetas
 708 ingruit, ingenti subito ferit aera saltu,
 709 ductile ceu festo subcrescit pegma theatro.
 710 Namque senex medio rerum certamine terras
 711 deserit ; et superis concedit Julius astris.
 712 Conveniunt proceres, et tanti quaeritur haeres
 713 imperii, diversa trahit sententia patres.
 714 Hos rugae canique movent et senior aetas
 715 mos alios seriesque gradus, nec defuit artae
 716 cultor amicitiae. Quem publica causa moveret.
 717 Privati quem cura boni, quos vivida virtus.
 718 Consulitur, sed quis magno successor Iulo
 719 dignior aut melior quam quem sibi legit Iulus
 720 ante obitum ? Quaquam vixdum maturus honori
 721 esse putaretur spectantibus acta parentum
 722 ambigitur, mussantque senes, haeretque juvenus.
 723 Ecce autem subito mentes invasit ab alto
 724 Spiritus, et cunctos eadem ad suffragia vertit.
 725 Pontificem patria primus te voce salutat
 726 primus adoratae civis, dedit oscula plantae
 727 pronus humi procerum, sequitur venerabilis ordo
 728 certatim, solioque locant, faustumque precantur.
 729 Quae nunc Calliope ? Quis nunc mihi carmen Apollo
 730 suggerat ? Et quantos hominum non concipit haustus
 731 ponat in oresonos ? O magni conditor orbis,
 732 o rector, quem nulla latent, immensa potestas,
 733 dexter ades, metamque rotis adsiste petenti
 734 curriculo. Tumidis duce te se credidit undis
 735 cymba : tua rursus tutos petit alite portus.
 736 Admiranda sacrae referens praeconia dextrae
 737 quae nostri videre oculi, quae cominus ipse
 738 tractavere manus, nec lumine segnior auris,
 739 spargitur Europes ex templo fama per urbes
 740 ocior, et variis populos rumoribus implet,
 741 ingens laetitiae mixtus stupor. Unde senatus
 742 praetulerit senibus juvenem. Quae tanta repente
 743 praecipites momenta patres, quae cura paventes
 744 impulerit : longam tanti spem ponere regni.
 745 Jamque alias alius pro captu mentis, et aestu
 746 pectoris, in medium causas proferre laborat
 747 nequicquam. Sed nulla coit, ni sola voluntas
 748 illius qui cuncta movet, qui cuncta gubernat,
 749 arbitrio digesta suo. Mirantur, et alta
 750 non dubiam spem mente fovent operataque lapsis
 751 rebus opem meritis venerantur numina votis.
 752 Nec fauces concepta premunt plausuque secundo

753 inclyta magnanimae resonant insignia gentis.
 754 Quamquam autem laetis strepat undique vocibus orbis,
 755 Romanae quacumque pedum non despicit Aulae
 756 una tamen longe magno discrimine vincit
 757 laetitiae, cunctisque magis Florentia gestit
 758 publica privatis certant spectacula ludis.
 759 Per multos celebrata dies. Caeloque tepente,
 760 densa coronatae cinxerunt compita flammae.
 761 Tum festo clamore chori lituique tubaeque
 762 fumiferas variis implent clangoribus auras
 763 atque ita non ullo pariter discrimine cunctos
 764 cernere erat gestire animis. Ceu duceret ipsis
 765 quaesitum tam grande decus. Solisque voluptas
 766 parta foret multos votis optata per annos.
 767 Hos animi motus dispar fortuna docebat
 768 non dubia ratione pares. Pro viribus omnes
 769 divitibus certavit inops vulgusque senatu
 770 nec vinci nec vincere erat vox laeta per omnes ;
 771 una vias repetita frequens cava sidera pulsat
 772 praecipue qua se Medices fulgentia tollunt
 773 excelsae monumenta domus, caeloque minantur
 774 haec properant in tecta greges juvenumque senumque
 775 agnataeque manus fratres uno ore salutant
 776 gratanturque tuis tum mobilis agmina vulgi
 777 cum clamore ruunt et sidera voce fatigant
 778 laeta mero dapibusque novis, nummisque superne
 779 effusis rebusque aliis, concurritur acri
 780 impete. Et in medio surgunt certamina plausu
 781 dona sibi dum quisque cupit conjecta, rapitque.
 782 Interea multos tacite servata per annos
 783 monstra Deum, et tantae jampridem conscia molis
 784 sacrorum in medium referuntur carmina vatium.
 785 Jamque aliquis nigrae per longa silentia noctis
 786 auditas memorant voces sortitaque tandem
 787 verba fidem quamvis multo jactata periclo.
 788 Insomnis hic visa canit solioque sedentem
 789 Pontificis Medicen sceptro mitraque potiri,
 790 ille canit visos sub lumina solis et ortum
 791 instar Apollineae rutilantes lampadis orbes
 792 Phoebeco prodire sinu. Caeloque vagari
 793 rosida qua croceos Aurora effundit amictus.
 794 Ast alius magni qua tenditur area templi
 795 lucis ait medio cultu canisque verendis
 796 fatidicum vidisse senem manifesta canentem
 797 signa, domi quae mox Medicem congressus aperte
 798 viderit impendens capiti fulgore corusco
 799 Pontificale decus, sacraeque insigne coronae.
 800 Perstrictos tum luce oculos, pectusque pavore
 801 attonitum, nullisque diu mox artibus usquam
 802 quaesitum tota urbe senem potuisse videri.
 803 Tum qua nocte frequens invasit moenia rumor,
 804 praescius instantis, quarti vix conscia Veris.
 805 Pontificem crebro Medicen clamore puella
 806 sueta, remulcenti fertur dixisse parenti
 807 nunc minime est, cras mater erit, mirantibus alter.
 808 Hactenus a prima referebat origine vatium

809 dicta, fidem rebus tandem sortita peractis.
 810 Attollunt cum voce manus, divumque salutant
 811 numen, et aeterno grates meminere parenti.
 812 Nec minus accepti tunc primum muneris orant
 813 laetitia, placideque frui longumque potiri,
 814 atque ea dum laeto celebrat Florentia plausu
 815 quaesitaeque diu manifesto numine pacis.
 816 Spem fovet exacti repetes vestigia saeculi
 817 Roma suo pariter meritos addicit honores
 818 Pontifici, et variis geminat spectacula ludis.
 819 Qualia post Geticae miseranda exempla ruinae
 820 ipse sua numquam prospexit ab arce Quirinus,
 821 exseruit medio flavum caput Albula cursu,
 822 aemula Caesareis miratur gesta triumphis.
 823 Tum pater armisoni compescens limina templi :
 824 "Omnia Romulidae fas est sperare nepotes,
 825 hoc duce, Janus ait. Quicquid prior attulit aetas
 826 egregium, Decimi revocabunt saecula Leonis.
 827 Nam veluti natura virum collegit in unum
 828 semina virtutum generi communia vestro
 829 sic vires fortuna dedit, rebusque gerendis
 830 laeta pares indulset opes, sic copia tantis
 831 par animis datur ulla, tamen jam certa laborum
 832 spes homini, jam certa salus, terraeque marique :
 833 vos modo contractum veteris caligine saeculi
 834 expurgate nefas ; paribusque assistite votis.
 835 Aurea falciferi redierunt saecula Regis."
 836 Talia dicenti tetricae arrisere sorores.
 837 Caelicolumque manus laevum fulgore corusco
 838 intonuit pater omnipotens ; Tritonia jussis
 839 audit, et Odrysiu molitur vincla Tyranno.
 840 Qualia lenigenae thalamo perpessus adulter
 841 Cycloperum perfecta manu, Siculisque caminis :
 842 excutit armatas animis Cyllenius iras.
 843 Lucidior pulsus effulxit nubibus aer.
 844 Protinus et laeto strepuerunt omnia plausu.
 845 O magnae stirps sacra domus generosa propago,
 846 o Latium Tuscumque decus, genus undique caelo
 847 admotum, quis nescit enim belloque togaque
 848 per tot ducta viros Medices praeconia gentis
 849 Ursinae quem fama domus, quem gloria nulli
 850 non audita latet. Qua litora pulsant in orbem
 851 Doris. Et immissis tellurem dividit undis
 852 non ego te (quamvis isto quoque nomine miror)
 853 felicem veterum memorem virtute parentum
 854 tanta tibi, tam multa suo concessit alumno
 855 aeterni vis summa boni ; te matris ab alvo
 856 mox puerum sensimque viris adscripsit adultum
 857 mirus ubique tibi vitae tenor, altior annis
 858 praesidio ductuque eodem. Tot signa, tot olim
 859 visa modis, majora datis ventura notarunt.
 860 Sic ubi Cardinei titulis admisit honoris,
 861 nobile tergeminae pactus diadema coronae
 862 tot monstris signisque dedit. Per tela, per ignes
 863 experto, nec fata modum posuisse videntur,
 864 nescio quid, sed majus ad huc promittit Olympus

865 Pontificis solio, si quid tamen altius effert
 866 humanumque caput sublimius inserit astris.
 867 Nempe minor Cyro Xerxes, majorque Philippo
 868 filius, ipse suo Caesar concedit alumno.
 869 Quid tua Pontificum prohibet superare priorum
 870 gesta decus ? Superabis enim sperataque longum,
 871 te duce, summa petent rerum fastigia mystae.
 872 Rursus et antiquo ponetur cardine Roma.
 873 Huic Eurus, Zephyrusque dabit Boreasque Notusque
 874 colla iugo ; pronusque sacrae foret oscula plantae
 875 quisquis Apollineae fruitur dulcedine lucis.
 876 Impia Tartareae latitabunt monstra Megaerae.
 877 Ibit avaritiae pessum sitis, ibit honorum
 878 ambitus. Et saevae livor Stygis aeditus alvo
 879 occidet insane mentis furor. Occidet amens
 880 luxus. Et ingrato ventosa superbia fastu.
 881 Saevus Hyperboreo tabescet carcere Mavors.
 882 Jura, fides, pietas, positis reget omnia telis
 883 una fides, unus pastor, lex omnibus una.
 884 Adjice divini praeter miranda favoris
 885 signa, fidem multis jamdudum nacta periclis,
 886 humanae quoque sortis opus. Nam junior aetas
 887 sufficit, et rebus vires et tempus agendis.
 888 Adde duos fratres clarumque ex fratre nepotem
 889 concordans animas summique admota tonantis
 890 pectora consiliis ; quorum virtutibus uni
 891 non pavidus magni frenos commiseris orbis.
 892 Hinc quoque tantarum certa spe sumere rerum
 893 fundamenta licet caeloque attollere molem
 894 vix bene Romanae solium te ceperat Aulae
 895 aspera. Sithonii posuerunt classica Martis.
 896 Adversaeque tuis avibus coiere phalanges.
 897 Et tumidas Gallo dextras junxere Britannii.
 898 Denique pace frui per te conceditur omnes
 899 auctorem te pacis habent. Tu reddis honori
 900 dejectos olim proceres. Tu, si quid Iulus
 901 consuluit, gravius relevas. Tu cruda jacentis
 902 vulnera, tu laceros fomentis mollibus artus
 903 Ausoniae mulcens reficis, reddisque salutem.
 904 O veri pastoris opus, tu rapta luporum
 905 faucibus extorques umbrosa pascua vallis.
 906 Salvigenumque pecus patriis exorsus ab oris
 907 clara reformandae passim primordia terrae.
 908 O verae pietatis opes, o vera parentis
 909 officia, hic cultus sacris, haec debita mystis
 910 relligio, qui servet oves praeponere. Non qui
 911 perdat et ignarae vescatur sanguine mandrae.
 912 Qui bona quae fieri mandat prior egerit. Idem
 913 dictator, factorque operum quis claruit aetas
 914 prisca viris. Nostrae floescent saecula vitae
 915 te modo mortales inter qui summa tenere
 916 jussit, ut inferno confusi turbine Mundi
 917 rursus in antiquam referas simulacra figuram.
 918 Coepta sequi, studioque velit. Metaque potiri
 919 sed volet atque adeo voluit ni velle recuses
 920 quae cupis, et vultu pariter dextraque fateris

921 perge favent superi. Tua post vestigia laetus
 922 orbis abit. Nec sola sacri ducis Itala tellus
 923 sensit opes, Medicasque manus, magnumque salutis
 924 auctorem. Supplex avidis complectitur ulnis.
 925 O quater, et quoties animus non concipit, illos
 926 felices, tantorum operum quos sidera testes
 927 esse volunt. Interque manus tractare superbum
 928 regis opus, me fata meis contraria votis
 929 cominus ingentis trepidantem fulgora lucis
 930 stare vetant, limbumque sacrae contingere vestis
 931 te tamen absentes animo mentisque videmus
 932 obtutu, fruimurque tuae dulcedine famae.
 933 Implentis terraeque globum, pelagusque, polumque,
 934 o mihi si qua pias auditas numina voces,
 935 quis deus ancipitis pulsa caligine morbi,
 936 quis dabit in solio propius sublime sedentis
 937 oscula adoratae cupido suffligere plantae ?
 938 O, ego quantus ero, Lachesi tam longa supersint
 939 lina diu tanto liceat dum munere fungi.
 940 Tunc quoque dulce mori veniet felicior umquam
 941 illa dies ? Veniet, magnis nec cedere votis
 942 spes didicit, cupidaeque minor succumbere menti.
 943 Et jam Romana videor Nocturnus in aula,
 944 dulcia vel patriae visentis moenia terrae,
 945 ante sacros astare pedes ; somnoque solutus
 946 do veniam, Mycille, tuae mihi conscius irae :
 947 immemorem quo ducis amor ? Quae certa quadrigis
 948 meta datur fessis ? Finem jam pone labori,
 949 Musa, tuo. Neque enim numeris comprehenderis ullis
 950 tam clarum, tam grande decus nomenque genusque
 951 Carpathio citius numerabis in aequore fluctus,
 952 turbatas vento Libyae sitientis harenas,
 953 sidera flammifero passim rutilantia caelo,
 954 diva quater magni referas quam stemmata Jani.
 955 Quid Leo, quiddecimus, Medices quid sanguine Florae
 956 sic visum, Rex summe, tibi qui robore dextrae
 957 cuncta tuae digesta regis, reserasque, serasque
 958 aeternis freta consiliis, terramque, polumque
 959 omnipotens vis, mens, et amor tibi gloria soli,
 960 qui depressa levas, premis ardua trinus, et unus ;
 961 pace diu, donisque tuis concede potiri.
 962 At tu quem summa rerum deus arce locavit
 963 et caeli concessit opes hominumque salutem,
 964 salve, sancte parens, lapsis spes unica rebus,
 965 certa salus. Ter quina datus post saecula Terrae
 966 maximus Arnigenae salvator origine Florae,
 967 salve iterum, felixque orbi, patriaeque, tuisque
 968 haeredem magni referas Augustus Iuli.

SYLVA.

P_192 v.1 Sic mihi Caelicolas inter contingat ovanti
 2 sidereos penetrare globos terraeque soluto
 3 nexibus. Aeterni thalamos celebrare parentis,
 4 ut ductu mea vota tuo nutuque reguntur.

5 Non secus ac tumido navis commissa profundo,
 6 quisquis ab Aeolii consurgens carcere saxi
 7 ventus agat, dubios incerta per aequora fluctus,
 8 vocibus et cauti regitur temone magistri.
 9 Saepe graves scopulos et saxa latentia Ponto
 10 offensura, piae cessent si munera dextrae.
 11 Sic quoque praecipitis nondum secura procellae.
 12 Quippe sequente prior fluctu colliditur unda,
 13 exsertisque furens confunditur aestus harenis.
 14 Jamque ratis laxa laterum compage fatiscit,
 15 inter aquae noctisque minas, caelique ruinam.
 16 Tum quaesita diu, votisque petita. Quietis
 17 terra fugit, nusquam gemino cum Castore Pollux.
 18 Arrisit laeto mihi dum Rhamnusia vultu.
 19 Tu, movitor ductorque viae, fidissimus idem
 20 adversis presso. Rector, portusque, salusque.
 21 Te duce, ferales atrae caliginis umbras,
 22 et consanguinei certamina dura furoris
 23 quam longum, qua mente tuli? Noctesque diesque
 24 fraude, manu, hinc illinc nulla non arte petitus.
 25 Undecimi Lachesis prope fila novissima lustris
 26 torquet, et incerti propius subit exitus aevi.
 27 Perstat, et invisae geminatis ictibus irae.
 28 Saevitiae documenta suae fortuna retexit.
 29 Ergo fatiscentem senio ventisque carinam
 30 destitues, tumidis sollers Palinurus in undis
 31 ni male te mentemque tuam, tot novimus annos.
 32 Servatum toties iterum servare juvabit.
 33 Debentemque tuae pridem quam plurima curae,
 34 plura libens debere tibi patieris eundem.
 35 Quem diversa trahunt geminarum jura sororum,
 36 ancipitem neutraeque parem, sed utrimque coactum
 37 hinc domus, et soboles, et vincli cura jugalis
 38 urget, et haerentem rebus committit agendis.
 39 Lucis egens illinc, et jam grave corpus ab annis
 40 otia, et ignavae trahit ad subsellia vitae,
 41 quod neque Saturni miserum non duxeris aevo.
 42 Cum vestes, alimenta, casas communis ubique
 43 sponte dabat, nulli tellus obnoxia culpa.
 44 Cum pudor Astraeae, cum pax comes iret amori.
 45 Cetera ne referam pejoris saecula venae,
 46 argenti signata notis, aut aere vel ipso
 47 extremum scelus, et rerum deterrima ferro.
 48 Quam bene compositis censes me degere rebus,
 49 hoc aevi morumque fimo. Vicinius auro
 50 accedit, fulgetque rudis magae lamina ferri,
 51 consonet extremo quam scoria nostra metallo.
 52 Nam licet ingenii vis et facundia vatum
 53 aggeret antiquae scelerata piacula culpa,
 54 prisca reformidant nostros exempla cothurnos.
 55 Aspice quam late magni patet area mundi,
 56 qua Notus et Boreas, Zephyrus qua spirat et Eurus,
 57 tot populos terra atque mari, tot regna, tot urbes,
 58 sicubi, quos hominum videas, quot vivere vitam
 59 saeva Hyperioniae non passam pocula Circes.
 60 Accubere omnes Aeaee ex ordine mensae,

61 atque Ithacus pleno primus se proluit auro,
62 post alii proceres, et cum structore bubulcus.
63 Quippe ducum mores vulgus sectatur et artes.
64 Sic tibi pollutis abrupta per ardua venis
65 ejaculantur aquas, et vortice torta furenti
66 corripiunt steriles torrentia flumina campos.
67 Forsan ad haec aliquis, sumptis nugare cothurnis
68 fortuna gravioere premi, qui protinus idem
69 lentior, externae spatiaris in aggere noxae.
70 Mentiar, et nil sint nostrae nisi verba querelae.
71 Vel magis aeterni certa si lege parentis
72 sic statio servanda diu, mens aequa labori
73 consurgat, pugnaeque pares in pectore vires.
74 Publica privatas vincant neu vulnera curas,
75 ad mala ceu tacta torpedine sensus hebescat.
76 Jactato varii cui nunc discriminis aestu
77 multa licet scabidis crudescat pustula membris,
78 visceribus tamen atque imis calor ossibus haerens,
79 tristia conspicui praevertitur ulcera morbi.
80 Ut tenues multo superantur ab igne lucernae,
81 noctis Apollineis concedunt sidera flammis.
82 Obducenda brevi subit hinc utcumque cicatrix.
83 Illinc horrifici suprema pericula belli,
84 vulnera, vincla, cruces, raptus, incendia, mortes.
85 A dextra laevaue patent exempla tuenti,
86 quo circum fers cumque oculos. Quas abluit ingens
87 Eridanus, quas Ticinus, quas Abdua terras,
88 cui pestis, cui dira fames gladiusve pepercit,
89 Ausonidum ? Vel quae turritis moenibus urbes
90 hostiles fugere manus ? Quibus oppida saxis
91 invia Barbarico non concessere furori ?
92 Dum quibus ignoscit Gallus, succenset Hiberus
93 Germanusque furens, quos non violentia pressit,
94 evicti periere dolis ; quos perfidus hostis
95 non astu, non ense ruit dementibus ausis
96 impia civilis fudit discordia dextrae.
97 Jam medio viret herba foro stratisque viarum,
98 squallidaque abductis situs obruit arva colonis,
99 quae tamen unde petas dirae medicamina pesti.
100 Quem statuas, speresve modum finemque malorum
101 quippe gravis toto diffusus corpore languor
102 membra quatit, nervosque furens et dura pererrat
103 ossa lues stomachoque caput contraria poscit,
104 Paeoniae fomenta malus, torpente palato
105 arentes lenta marcent lippedine fauces,
106 prona malos suctu facili sorbere liquores,
107 nauseat uva rigens medicati ad pocula succi
108 quid super aegroto referes Podalirius isto.
109 Asclepive parens, potius, cui noxa futura
110 ut medico, vatique dei que hominesque dederunt,
111 an quibus Hippolytus superas revocatus ad auras,
112 Ditis erit compos tenebras evadere succis,
113 an conata salus frustra servare quiescet.
114 Nil mecum sibi Phoebus ad haec, i consule fratrem
115 cum patruo, dux hicce viae, rex ille futurus.
116 Contractos habitus et longo temporis usu

117 concretas animi labes, scelerisque nefandi
118 naturae sortita pares contagia vires.
119 Corporeis leviora malis morbisque putemus ?
120 Ah miseros ne tanta homines insania perdat.
121 Quandoquidem veterum series Augusta videntum ,
122 continuoque novi subeuntes ordine vulgo
123 conclamant vates, et notro maximus aevo
124 Aemiliae sol ille recens et gloria terrae,
125 quas Italis scelerum poenas quantasque minatur.
126 Ille nec extremae quemquam discedere sortis
127 intactum, mediaeve tulit, non ille superbis
128 pontificum regumve notis indulisit iniquis,
129 impia dum Stygii cedit portenta Tyranni.
130 Nunc si quando alias late terraque marique
131 imperio populos humanaque corda prementis,
132 nec dubiis ea monstra datum cognoscere signis.
133 Jus positum in gladiis, et quae sibi posse videtur
134 quisque licere putat, nulla revocabilis arte.
135 Et semel epoti concrescit tabe veneni,
136 ut qui saxificae viderunt ora Medusae,
137 vel conto Stygiam jam tranavere paludem.
138 Atque equidem haud video qua nam ratione tueri
139 possit in adversum tendens, si jure probamus
140 perpeccos eadem quondam et sentire professos,
141 an linguae mores pugnant doctrinaque vitae ?
142 Exterior nihil est hominem damnare quod ausis.
143 Interiora notas : Regi modo cognita summo ?
144 Quae tamen in melius referes, cum plurima cernas
145 praescriptae fines intra contingere metae.
146 Affectus graviter metuens graviora quereris ?
147 Admonitus ? Quo confugias, quae limina pulses,
148 unde tibi pacemque petas finemque malorum.
149 Cui nullam tua vota feras passura repulsam,
150 idque adeo quamvis generatim spectet ad omnes
151 Hesperiae, quacumque patet, populosque ducesque
152 ut tamen intorta feriendum cuspide signum,
153 Tibrim et Etruscae meditullia respicit orae.
154 Namque, ait, incesto foedantem hunc cuncta veneno
155 ni comissa fleat quo desperare fatetur,
156 ni patrios revocet cultus moresque parentum,
157 extremas multo pensurum sanguine poenas.
158 Expertum quodcumque mali quodcumque tremendi,
159 ingemit humanae miseranda tragoedia sortis,
160 at tibi cara poli ducibus Florentia summis
161 ut pro justitiae cultu data meta laborum.
162 Sic certa ratione boni spes ampla futuri,
163 prima renascentis jacturae exordia mundi,
164 et duraturas aeterna in saecula reges.
165 Multaque praeterea septem digesta per annos
166 humanis majora modis, unique profecto
167 nota Deo et summi penetralibus aedita caeli.
168 Sed quorum manifesta fides. Cum plurima cernas
169 praescriptas servasse vices, finemque, modumque.
170 Unde putes eodem superest quodcumque movendum.
171 Compositus placita si pace quiesceret orbis
172 totus et ignavas mollirent otia gentes.

173 Marte tripertitae quid cum fremat area terrae ?
174 Et juvet insueto dextras accingere ferro ?
175 Quis tamen, heu, caeca pressas caligine mentes,
176 utque pecus prono terram spectantia vultu
177 lumina, contemptis aeternae sedibus aulae.
178 Et quotus huc oculos intendit ? Et aspicit omni
179 de numero et verum cupidis amplectitur ulnis ?
180 Forsitan ignoscas longe de gentibus ad quos
181 rarus et ambiguus rumor devolvitur alis.
182 Esto Asiae populos et quas alit Africa gentes
183 excipe, et Arsacidum parentia regna tyranno.
184 Dum Tagus, et Rhodanus caleat, dum Rhenus et Albis
185 Ister et Oceani, quos alluit unda Britanni.
186 Atqui longe absunt, utinam quoque longius absint.
187 Tuque diu tot pressa malis Oenotria tandem
188 agnoscas casusque tuos causamque modumque.
189 Quasque dedit rationis opes Deus optimus, ipsis
190 utare, atque hominum degas non more ferarum.
191 Unde memor, quorsumque venis ; quaque ire juberis.
192 Sed vani monitus. Cum deceptura relictos
193 durities agit in tenebris, jamque obruit unda
194 attonitos, nec tanta movent exempla propinquos.
195 At cane percusso veniunt ad frena leones.
196 Quid facias homini ? Quem nec bona verba minaeque,
197 non carcer, non flagra movent, non arma nec ignes ;
198 consilium quod nempe Jovis perfecit Achivis,
199 quem tibi apud dominum censes tam foeda gerenti
200 esse locum ? Quisquis monitis non flecteris ullis.
201 Inque dies pejora nocens moliris et audes.
202 Convasat tabulata domus, cui proxima fumant,
203 sed tu Deiphobi cum jam dedit ampla ruinam
204 Vulcano superante domus, cum proximus ardet
205 Ucalegon totaque volant incendia Troja,
206 securus somno indulges, venerique meroque.
207 Pupillos viduasque alius circumvenit astu.
208 Hic privata malo res illi est, publica questu.
209 Hi sacras mercantur opes, mercantur honores.
210 Hic lenociniis, stupris emit ille nefandis,
211 prodigit hic quaesita, recondit avarus et abdit.
212 Jam raptio furtive pares, vel fenore nummos.
213 Nil refert. Male parta satis male perdere posse
214 jampridem tacuisse bonas innotuit artes.
215 Virtutemque dari vitio rectumque pudori.
216 Et saevire feri late contagia morbi.
217 Ut vel caenosae madeas humore lacunae,
218 ne furere insano sanus videare furore.
219 Haec alias alius olim mihi nota volenti
220 nolentique canit. Vacuas sermonibus horas
221 dum damus, et tristis lenimur taedia vitae.
222 Quando haec una meo superest medicina dolori,
223 nec certa illa quidem. Aegrescat cum saepe medendo
224 morbus, et ipsa malo vires fomenta ministrent,
225 incertis cupidi manibus tractata magistri.
226 Quippe suo plerosque dapes condire palato
227 mos vetus, atque eadem diversa pendere lance.
228 Inde Dionysius Thrasybulo compar et impar.

229 Tentat Aroneae numeros pietatis Iason,
 230 stulta Mechazareae referens exempla phrenesis.
 231 Quemque Themistoclem alius vocat, ille Lysandrum.
 232 Aequat Aristidem vesano testa Cleoni.
 233 Quid refert figatve Solon legesve refigat.
 234 Suadeat an pace prudens, an bella Pericles.
 235 Et quocumque placet, numquam mediocribus usus
 236 Cliniades fatis faciles deducat Athenas.
 237 Civica multiplici versetur scaena cothurno.
 238 Pertuleris dum non Pisistratus occupet arcem.
 239 Et Lacedaemonia subolescant pace Tyranni.
 240 Inficias non sanus eam, quandoque moveri
 241 me gravius ; quid ni, mortali semine natus
 242 id patiar, tam multa diu tam dura revolvens,
 243 publica privatos cumulant ubi damna labores,
 244 transactis pejora malis instare tuenti
 245 eminus, et certis graviora pericula signis
 246 illinc praecipiti cingunt indagine montes,
 247 hinc mare contortis undas immiscet arenis,
 248 cetera terrifico coeuntes agmine late
 249 hostiles cinxere manus, penuria clausos
 250 haud injussa premit, mentes pavor urget inermes
 251 dissona Tartareis quatiens praecordia flagris.
 252 Quod negat humani nisus spes aegra, salutis
 253 pandit iter, mitis invicta potentia caeli.
 254 Quid sperare vetat ? Dum spe bene nititur acri
 255 Daedalus et cursum terras interque polumque
 256 temperat, incolumis Cumaeis astitit oris,
 257 iratique minas evasit et arma Tyranni.
 258 At nunc summa petens nimium, nunc ima, profundo
 259 mergeris, incassum jactatis, Icare, pennis.
 260 Ah nimis Icariis multus ne devoret alis,
 261 e tanto quis enim numero, quotus agmine certo
 262 constitit et mediae subiit certamina pugnae.
 263 Ignoscas, nimium est certae concurrere morti.
 264 Quis non terga dedit, primo surgente tumultu
 265 Martis ? Et explicitis nondum sub signa manipulis ?
 266 Pugnabit rursus fugiens. Sapientius ergo
 267 transfuga, desertis vitat discrimen amicis.
 268 Hoccine concipias nacturum milite palmam
 269 Hannibal, et vaferi proles generosa Philippi.
 270 Auspiciis et forte tua confisus et arte.
 271 Quid dicam proceres et primae nomina famae ?
 272 Ne mihi tam segnes venient in castra calones.
 273 I procul. Aut sumptis bellare viriliter armis.
 274 Ergo tot aggestis vario certamine rebus
 275 parvus in immensum ne crescat circulus orbem,
 276 haec animi tandem fuerit sententia nostri,
 277 arbitrii statura tui cessuraque nutu.
 278 Cum metus, ambiguus et spes circumvolet alis
 279 argumenta fidem faciunt transacta futuris
 280 rebus, et implendum spes est ex parte peractum
 281 fatidicus pridem quo protulit ordine vates.
 282 Dissimulas ? Aliena tuo sub nomine promissis ?
 283 Quod licet e medio tollas oracula (cernis
 284 si quis inest sensus vitae) si luminis usus

285 undique multiplicis causas instare ruinae
 286 an locus immutat vires ? Et robora veri ?
 287 Quodque nefas dirumque palam fas edere furtim
 288 non ita quem colimus dominus dominumque secuti
 289 praecipiant, vitam sed amant impendere vero.
 290 Paenituit numquam tacitum persaepe lodotum.
 291 An Deus, an prohibent homines ? Si numina vinctas
 292 tendo manus, verbum contra non amplius ausim,
 293 sin homines ? Quid non clamem, cui denique parcam ?
 294 Unde petenda salus, temere fugiemus inertes.
 295 Jure in nos igitur ruit indignatio, jure
 296 plectimur, et spretae luimus commissa Thaliae.
 297 Ilicet a scatebris qui degener occubat humor,
 298 quem medio sperare licet cursuque supremo ?
 299 Vos ego, consortes, et conscia pectora vatis
 300 appello, morum testes rerumque suarum.
 301 Quos canere ante tuba decuit, quos tollere signa,
 302 ah modo ne nimium segnes moveatis in hostem
 303 desertusque fuga contendat in avia miles,
 304 sanus adhuc tanto si quis tibi de grege restat ;
 305 jam multi cecidere palam, vel nomine falso
 306 prodigiosa tegunt Stygiae commercia vitae
 307 extremae scelerum sordes et crimina, tanto
 308 pejores aliis, quanto crudelior aspis
 309 mustela, et Libycus tardo basiliscus Iulo.
 310 Heu, qualis tanto superat de lumine fumus ?
 311 Quis liquido de fonte latex ? Discrimina frustra
 312 admoniti, et visos laqueos incurrimus. Ergo
 313 ferrum ignemque omnes alte diffusa per artus
 314 effera Tartareae postquam contagia pestis,
 315 quisque domi saltem Critias ne detur Athenis
 316 scilicet, et pura venit ad donaria dextra,
 317 cui minus errandi tandem concessa potestas.
 318 Qualis ego et populus. Sed qui graviora merentur
 319 ex leges, pressaque palam ratione furentes,
 320 his vafor illudat Flaccus convellat Aquinas
 321 acrior, et rigidi secet indignatio Persi.

SYLVA.

P_193 v.1 Terrarum pelagique vias expertus Ulixes
 2 Elysiasque domos, superas rediturus ad auras.
 3 (Si qua fides magni placitis tribuenda Platonis)
 4 rustica Mopsopii complectitur otia Telli.
 5 Tellus Ulyssei cursus et fata laboris.
 6 Hinc numquam exigui fines transgressus agelli,
 7 ille peragrato longis erroribus orbe,
 8 usque adeo offensi nostris aliena probamus.
 9 At mihi ne terras iterum post fata petenti,
 10 frigida Telleae placeant commercia vitae,
 11 mollia septenis fluxerunt otia lustris.
 12 Extulerim Patriis aegre ut vestigia septis.
 13 Quamquam autem Aeolio luctantes carcere ventos
 14 nec gravia Oceani tulerim portenta furentis
 15 Neptunique minas, nec fracta proditus alno

16 pendentes Siculo captarim gurgite ramos
17 aut Corcyraeae velatus caespite frondis
18 Nausicaae teneros oculos et mitia corda
19 mollierim, toties patriis rejectus ab oris.
20 Non tamen est cur me consulti cursus Ulyssis
21 sollicitet, cupiamque vagus terraque marique
22 multorum mores hominum cognoscere et urbes :
23 longa satis rerum tribus experientia lustris,
24 jactato tragicas inter sine fine procellas.
25 Ne tamen infausti toties discrimina frustra.
26 Temporis et veterum refricem monumenta malorum
27 ne concreta novis repetantur vulnera telis ;
28 id mihi Palladiae praetura novissima terrae
29 praestat, Ulysssei titulos ut deprecer astus.
30 Illa quidem non sorte loci, non dotibus agri
31 exoptanda, avido sed nec fugienda colono.
32 Quippe oleae corylique ferax et coctilis uvae.
33 Fertilis, alternis mendicat, et affluit annis.
34 Cumque choris vernet Dryadum lentisque Napaeis,
35 spicea Eleusinae refugit commercia Matris.
36 Abruptis praeceps tumulis et vallibus altis
37 invia, tum raro nympharum in gramina lusu
38 Panos et incinctae studiis male grata Dianae,
39 hic habitus faciesque loci. Ne singula late
40 prosequar et partes lentus diffundar in omnes.
41 Sed terram quamcumque feras sive ille beatos.
42 Laetior Alcinoi fecundet divitis hortos.
43 Maesta noto steriles pluvio seu fundat arenas.
44 Spectantem vario saltem discrimine rerum
45 ducit, et advecta diversi partibus orbis,
46 tristia merce levat effeti damna coloni.
47 Nescia promissis non stare et fallere amantem.
48 Quis nam autem Aeaeae cantus et pocula Circes
49 dirarumque ferat foedum genus Harpyiarum.
50 Aut quae Trinacrii demergit in antra profundi
51 Scylla rates, saevisque canum latratibus haurit,
52 quoslibet invisos cultor facit impius agros.
53 Non mihi praecipites abrupto tramite colles,
54 Naiadumque nihil debentia coetibus arva,
55 difficilem tristi stomachum tumidumque perurunt
56 bile jecur, neque enim fronti contraria praestant,
57 at vero molles vultus et blanda Charybdis
58 pectora, raptorum ventri commissa luporum
59 cui placeant ; saevoque latens sub gurgite pistrinx.
60 Aut quae letali blanditur carmine Siren.
61 Eque suo alterius animos moderata Calypso.
62 Ne Laestrygoniae referam crudelia gentis
63 prodigia, et sparsas humano sanguine mensas
64 Antiphate ; vastumque fero Cyclopa sub antro ;
65 mandentem vivos confractis ossibus artus,
66 et quicquid tragico reboat sublimis hiatu
67 Melpomene Ogygias scelerum fastigia Thebas
68 Argo, et averso damnatas sole Mycenae
69 Lemnon, Achemenidas, Cholchos, Busirin, Iolchon
70 et quaecumque tenax sceleris monumenta nefandi
71 Calliope, Clioque refert, ab origine prima

72 usque sub instantis portenta novissima saeculi,
73 temporis exacti titulos revocantis eodem.
74 Aspice quam late magni patet ambitus Orbis :
75 signa vides tacite properantis ad ultima fati
76 Hesperus Eois longinqua per aequora terris
77 imposuit leges, Italis Hispanus in oris,
78 Celtica perdomuit nocturno regna tumultu,
79 majorum transgressus opes et nomina Caesar.
80 Parthorum Domino Tellus Memphitica cessit.
81 Captivis fluit Hister aquis. Dat colla catenis
82 alta Rhodos, fuso toties spectabilis hoste.
83 Hinc illinc auctae vires animique minaces
84 inter se diversa fremunt, majoraque Parthis
85 concipiunt. Multa rerum latet exitus umbra.
86 Non tamen ut dubites sine vi, sine Marte gerendum.
87 Ut qui vere novo, late speculatus in agris
88 triticeam valido surgentem gramine messem.
89 Asserat ardentis rapido sub sidere Cancri
90 casuram ferro segetem culmosque rigentes.
91 Quippe ubi pulsus amor, passim ferrumine nullo
92 discordes animos infidaque pectora jungit :
93 privatim sibi quisque sapit, sibi consulit uni.
94 Concussos sine calce putes subsistere muros ?
95 Cum versum fas atque nefas, cum sacra profanos
96 praeverti, scelerum studio pugnantia cernas.
97 Tot sordes Paphiae tot foeda aenigmata, fraudum
98 tot species, tot dira feri contagia morbi.
99 Quod fieri post se non posse putavit Aquinas.
100 Vicimus antiqui damnata piacula luxus.
101 Quin et criminibus veterum par addita sorti
102 appendix. Cum constet eo peccasse nepotes
103 egregius, quo luce magis spectante theatro
104 turpe virum fatui partes numerosque subire,
105 quam puerum, nullo sub teste et noctis in umbra.
106 Per tenebras cecidere patres, in sole nepotes,
107 at qui non totum coepti mens carminis orbem
108 vellere, et in puros hominum praestringere mores
109 non molles Asiae ritus Libyaeve furores,
110 aut Europaei contagia lubrica morbi.
111 Sed quota Pisaeae signatur portio terrae
112 non opibus non Marte potens, non artibus ullis.
113 Armisonae studiis oleo tenus apta Minervae.
114 Quam gravis haud fessis circumdet noctua pennis
115 saeva cothurnatae referentem monstra Camenae
116 et quae Maeonii celebrantur carmine vatis
117 propositum sive urget opus seu divite cultu
118 discolor insuitur praetextae purpura telae.
119 Nam praeter Phrygios casus et fata Pelasgum
120 hic Nemeae damnoque suo male fertilis hydrae
121 ceteraque Herculeis portenta domanda lacertis
122 invenias. Theseive manu nec Tantalus usquam
123 Ixionve aberit Lapithaeque ferique bimembres.
124 Tum Paris Aegistusque et Tyndaris utraque, matri
125 juncta suae. Danaeque et cum genitore Calisto.
126 Adde his terrigenas Titaniaque arma secutos,
127 praecipuum gentis vitium. Niobesque tumentis

128 grandesupercilium, et meritos Latoidas iram
 129 et damnata notis veterum mendacia Cretae.
 130 Quid ? Quod pollicitis, ceu lege sacratius omni,
 131 stare nefas. Fideique pudor servare pudorem.

SYLVA.

P_194 v.1 O nimium provecta mei lex abdita fati
 2 quo tenebras trahis usque graves inopemque senectam,
 3 curarum qui limes erit, quae meta laborum
 4 qui modus adversis, quae spes mihi denique saltem
 5 qui quando unde mali requies morbive levamen ?
 6 Altera bis senis accessit Olympias actis
 7 Icaris occiduas ex quo prope lapsa sub umbras
 8 audiit Erigones primis vagitibus orsum ;
 9 ad ripas, pater Arne, tuas jam nocte silenti
 10 testari miserae lacrimosa prooemia vitae
 11 infantes etenim cunas dubioque sopori
 12 per similes olim studiis puerilibus annos.
 13 Quid refert audita magis quam visa referre ?
 14 Et tamen humano si quid natura labori
 15 indulsit, nostri pars jucundissima cursus
 16 quae parvo contenta diuque doloribus angi
 17 nescia : laetitiae praecordia laxet habenis.
 18 Sed neque nunc primos medios neque prosequar actus
 19 quos sors cumque dedit veteres renovare querelas.
 20 Mens fuit, et tristi coeuntia vulnera frictu
 21 nequicquam mollita diu cum dramatis anceps
 22 exitus extremi nondum genus explicet actus
 23 ut quacumque pedes circum prior egerit aetas
 24 altius Aonio vestigia pulvere signet.
 25 Jamque satis capiti lacrimas impendimus uni
 26 afflictataeque domus fractis solacia rebus
 27 muneribus concessa novem numerisque sororum
 28 providus ut magno rerum mercator acervo
 29 tristia damnosae metuens discrimina Lethes
 30 debita multiplici committit nomina chartae.
 31 Cura Deo forsitan praestante domestica possit
 32 officium partesque suas tentasse videri
 33 quod doleat superest velut aegro in corpore si qua
 34 vincitur hic, illic superat medicina venenum ;
 35 quippe ubi per totos pestis diffunditur artus
 36 exiguae frustra medicaberis unguine parti.
 37 Quis terram fulcire parat cum dissita rimis
 38 fundamenta labant, furor est intexere saepem
 39 cum segetes populatur hiems, cum flamma penates
 40 sponte manus capiti minitantes suscipit ictus
 41 natura monstrante viam nidumque volucres
 42 defendunt qua parte datur, piscesque feraeque.
 43 Quos ratio nativa jubet fas jusque piumque
 44 haeremus dubiae patriam praeferre saluti
 45 publica privatis praeponere commoda rebus,
 46 at collo sarmenta ferens incognitus hosti
 47 se pro Cecropiis devovit Codrus Athenis ;
 48 omnis in adversos fureret cum Persis Achivos

49 non timuit cum rege manus Spartana periclo
 50 pro cunctis offerre caput mortemque subire.
 51 Egregiae Deciorum animae natusque paterque
 52 umbrarum dominis et avari manibus Orci
 53 ultro se patria pro libertate dicarunt ;
 54 auditumque semel tam longo temporis aevo
 55 vivus ad infernas descendit Curtius umbras.
 56 Armato sublimis equo non actus avarae
 57 conjugis indiciis regumque pudore minantem,
 58 sed laudum et patriae magno percussus amore.
 59 Hibernine vagus torrentis more per omnes
 60 Graiorum gentes et barbara deferar arva,
 61 an proceres Italos rursus Romanaque subdam
 62 nomina Fabricios, Curios, Fabiosque, Philosque,
 63 et cum Scipiadis Catulos, Paulosque, Drusosque, et
 64 publicus exstinctos sumptus quos extulit, ut qui
 65 non sibi sed patriae magnos duxere triumphos
 66 contenti laudis titulis et paupere cultu.
 67 Julia si confers molimina fumus et umbra
 68 Becheselenci Saturnia pegmata casci.
 69 Nam Brutos affine feris nomemque genusque,
 70 quem proferre juvet, videant Thrasesque Catoque,
 71 quandoquidem celebri tetricarum lege sororum
 72 haec quoque temporibus debetur gratia nostris.
 73 Vivat Aristippus si quis sapit utilis uni
 74 jucundusque sibi sententia Diacatonis ;
 75 nam mihi quid refert dives me paupere Roma
 76 divite me pauper, nemo mihi junctior est me.
 77 Scilicet hoc etiam divo sedisse Platoni
 78 Protagoras, Prodicusque feret contraria, quamvis
 79 scripta sonant partem nostri cui vendicat ortus
 80 dulcis amor patriae qui nos genuere parentes,
 81 nec generis nec sortis opus grave nomen amici.
 82 In tenebris videre senes noctisque per umbram
 83 obscuri densaque inter caliginis atras
 84 invenere diem nebulas, in sole juvenus
 85 caligat mediaque die caeloque sereno,
 86 ut non ulla oculis prosunt medicamina nostris
 87 nigra medebantur Lippo collyria vati.
 88 An non Phidonide major coloquintide nostros
 89 invasit lippedo oculos non ille videbat
 90 montis ad obliquas surgentia nubila costas,
 91 at nedum puro stellas cernamus Olympo
 92 orbe latet pleno nos Cynthia noctis in umbra,
 93 jamque poli medio sol ardentissimus aestu.
 94 Dic age, Mnemosynes stirps, e pulcherrima tuque
 95 graminibus numerisque potens arcuque lyraque
 96 qua Stygii de faece luti caenoque profundi
 97 eruta tam dirae labes contagis in auras
 98 infelix miserum tectis caput extulit umbris
 99 infecitque diem foeda caligine Ditis
 100 Eumenidum facibus Lernaequae armata veneno.
 101 Ne vatum commenta tibi Titania ponam
 102 terrigerumque minas ficta sub imagine veri
 103 effigiem, sed nuda gravis simulacra ruinae
 104 dejectus superis caeli regionibus hostis

105 ut fuit in patrem fastu dominumque superbo
106 praeter se cuiquam qui se debere negavit.
107 Sic homini livore furens ad summa vocato
108 quo minus amissae praevertat munera palmae
109 obstat et insidiis et aperto Marte resistit,
110 usque vigil nec nocte graves nec luce remittit
111 excubias casus motusque intentus ad omnes
112 inque suas conflans aliena incendia poenas,
113 tantum odio tantum invidiae concedit et irae.
114 Sed tamen humanae vis est ea mentis, et illud
115 roboris aeterni concessum lege parentis,
116 ut cogi non arte queat non viribus ullis
117 ni dederit male sana manus iurique voluntas
118 cesserit, ipsa suo generisque oblita decori
119 Dictaeo licium ferro mutaverit aurum,
120 ut qui praerupit munitam vertice saxi
121 quo neque tormentis aditus nec fraudibus, artem
122 infidus ni mentis inops spe muneris hosti
123 infelix prodit custos urbique sibique,
124 cum victus fidaeque manus validaequae supersint.
125 Quippe sibi similem factum tantique redemptum
126 ne pluris quis ferre queat regnator Olympi ;
127 sic hominem certis voluit sub legibus aevi
128 libertate frui meritis poenaeque patienti
129 corpore quem molli somnus, quem tristia laetis
130 mixta trahunt pronum veteris contagine labis
131 invidiaque furens ingrato cum grege ductor.
132 Tam variae pestes diri tam monstra Tyranni,
133 nec mora nec requies quin bella domestica vexent
134 externaeve acies strepitusve Acherontis avari
135 mille modis vi fraude petat blandusque minaxque,
136 tot quisquam conferre manus et tendere contra
137 audeat, effugiumque aliquod sperare salutis.
138 Tam multis validisque simul circumdatus unus
139 parce metu, neque enim invitus superabere, sed tu
140 desine velle Dei praecepta secutus et auram
141 egregium fracto referes ex hoste triumphum,
142 non astu gladiove potens, sed pectore firmo,
143 sed fidei, sed spe, sed amoris concitus oestro.
144 Talia nos opifex rerum rectorque paterque
145 poscit et exiguis nostris sua magna rependi.
146 Nam quos aspiciens ultro praevenit, eosdem
147 prosequitur gratisque fovens potiora tributis
148 indulget superumque facit discumbere mensis
149 splendida dum pariles ineant convivia vestes.
150 Namque ut stelliferi sublimis machina mundi
151 errantesque faces Phoebeque et Apollinis ignes
152 mixta fovent modulis coeuntia corpora miris.
153 Sed manent ubi certa sua superumque ferentes
154 excipiunt avide afflatus sic Juppiter aequas
155 ad quaecumque voces homini certamina vires
156 sufficit et facilem quovis et hoste tropaeum
157 mitia si placidi vigilet dictata magistri ;
158 impletisque datae numeros et munia vitae
159 unde memor qua classe petat quo flamine portum,
160 o fortunatos humanae stirpis alumnos,

161 o felix mortale genus, ni fugerit uti
162 naturae ratione suae, si pectore recto
163 haeserit amplexu superi diffusus amoris,
164 quae sibi vult renuitve, tenax fugiensque fovensque.
165 At mea cum multis tantum me commoda tangunt
166 spernentes sicci jejunia solvere Codri,
167 atque utinam modus iste malis et omissa gemendum
168 non commissa foret, sed enim juvat ire per omnes
169 nequitiae scelerum<que> vias nullisque relinqui
170 ulterius sperare nefas facinusque nepotum,
171 quis novus insidiis laqueus fraudique dolisque,
172 quis veri rectique tenax varia odit et arcet.
173 Aspice mechanicas artes et libera quondam
174 ingenui studia alta animi scrutare superbas
175 regum aulas nec non imae ludibria sortis
176 addictasque greges sacris vulgusque profanum,
177 quot tamen invenies olim quos dicere possis
178 jure viros nec falsa hominis sub imagine passim,
179 dira tegi potius variarum monstra ferarum.
180 Impia mendicae referam quid crimina sordis
181 pollutasque magis adimas quam corpus et atri
182 colluviem ventris et nescia corda pudoris,
183 imperiosa licet frenos moderetur egestas
184 mille modis in triste abeunt medicamina virus,
185 et vos felices Saturnia saecula dicam
186 pastores quis sponte ferax dabat omnia tellus
187 stillaret, quis melle nemus, quis lacte fluenta
188 dignatos superum comitatu et voce decorum
189 quam pecudum evastis similes similesque ferarum
190 nil hominis praeter faciem linguamque potiri
191 cedes concubitus meditantibus furta rapinas,
192 nec quos ventrimanos Graii dixere silebo.
193 Seu rastris versatis agros sive artibus urbes
194 candida dum placidos aluit concordia cives
195 in commune bonum late genus utile, quis nos
196 in tot praecipites egit furor impius ausus
197 crudeles inops fidei verique probique,
198 tot scelerum dites quot habet Saturnia nymphas,
199 nec qui mutandis intenti mercibus omnes
200 humanas miscetis opes terraque marique.
201 Seu lanae vos cura tenet, seu vellere Seres
202 exercent rigidaeque auri sub tegmine vestes,
203 quas non fraude mala merces corrumpitis aut quas
204 praescriptas operum leges servatis avari
205 facundi ne verba nepae variasque colorum
206 quas nec Aristoteles novit nec Tullius artes ;
207 vafraque perjurae referam mendacia linguae
208 unius in miseri captum vigilata quadrantis,
209 nam quid causidicos refert jurisque peritos
210 in medium proferre, Jovis quos vulgus ad aures
211 detulit ambigua nodosi casse Trebati,
212 insontes damnare reos, servare nocentes :
213 deterius si Verre Cato quem munere palpet
214 par majorve tuos, Galene, infamia damnat,
215 quo gravius peccare licet fidentius audent
216 quorum urbes benefacta tenent, errata sepulcrum.

217 Adde magistratus quos libera jura tueri
 218 cum populo jussere patres pietasque fidesque
 219 prodita privato subvertere publica lucro,
 220 idque putare nefas quod non sibi congerat aurum.
 221 Denique magnates populi proceresque ducesque
 222 atque humanarum reges fastigia rerum,
 223 quos animi spectata diu per plurima virtus
 224 ad decus imperii et sceptrum et diadema trahebat,
 225 et quae mox late repserunt jura propinqui
 226 sanguinis egregiae si quis procul indolis ignis
 227 signa dabat, natusque patrem referebat avosque
 228 temperie justaeque potens indagine mentis
 229 clara Patris Patriae populis monumenta daturus.
 230 At nunc, o mores, o tempora sive quis haeres
 231 insedit solio seu quo vis nomine tandem
 232 in quas evasere feras et dira furentes
 233 monstra Syracosii non concessura tyrannis,
 234 pollutae quoties cognato sanguine dextrae
 235 lurida tabifico fluxerunt membra veneno ;
 236 ac ne posteritas nostris nil debeat annis
 237 addidit infelix exempla recentia priscis.
 238 Saevities Tiberique trucis Gaiique furentis
 239 nam flavi laniena parum foedique Neronis
 240 tam multae leti facies tam praevia fati
 241 verbera tot tormenta rotae clavique facesque,
 242 tot nexus, tot vincla modis lacerantia miris
 243 corpora Tartareis Erebi confracta caminis,
 244 ut laquei crux flagra phalanx melota sagittae
 245 poenarum non prima sonent cum stante coegit
 246 carcer Achaemenia testudine taetrior Afris
 247 lentior Attili tabulatis et trabe Cassi,
 248 quod facinus tantis cruciatibus objicit aut quod
 249 tam dirum, tam grande nefas quae causa reatus
 250 mene rogas quin tu tranquillum consulis hospes
 251 quaesitis impune tuis responsa daturum.
 252 Me ne dum curae vigiles insomnia terrent
 253 nequid ab invito cautum minus excidat ore
 254 aut patulas dubiis feriat rumoribus aures,
 255 in nervo causam quis dicere praestitit insons
 256 majestate reus laesa vitioque duelli
 257 defereris culti quae te Demosthenis artes
 258 defendent magni vel quae facundia Tulli
 259 cor, res, forma, genus, vis, mos, stant omnia contra
 260 nec locus effugi Priamo nisi faverit Hermes,
 261 aut Venus Aeneam flammis regat inter et enses,
 262 sed reor Aethiopas adiit pater et simul omnis
 263 turba secuta deum multos ex ordine soles
 264 Oceani nitidis celebrant convivium tectis ;
 265 aut arcana fovet taciti penetrantia Morphei,
 266 vel si summa licet nostris componere nugis
 267 confectus senio rerum projecit habenas,
 268 si tamen est rebusque vacat mortalibus usquam
 269 nec fato casusve leves jactamur inani
 270 quae multos hominum rapuit sententia, quamvis
 271 dissimulent et nube cava speculentur amicti.
 272 Quid Fortuna ferat, quo lintea vertere praestet

273 mentiar Europae fines quando omnis eodem
 274 voce tenuis concessit honos pietatis et aequi.
 275 Aspice quas tanto dignas cognomine gentes
 276 invenias terra atque mari quae consona linguae
 277 pectora naturae non obluantia jussis
 278 officii quae jura vigent, quis sanguinis aut quis
 279 aetatis sexusve pudor patriaeque domusque,
 280 an dolus, an virtus, an gentibus imperet aurum.
 281 Quid gladii, quid jura valeat Bacchusque Venusque
 282 ambitus an frugum dominantur in urbibus artes
 283 candor an attriti vigeant camenta pudoris
 284 nec certis signata notis collectaque rite.
 285 Confer et aequatis trutinæ, suspende patellis
 286 quam diversa trahunt non aequo pondere lances
 287 altera caelicolum, Stygias petit altera sedes.
 288 Usque adeo nusquam recti vestigia cernas,
 289 sic versum fas atque nefas rabidoque tumultu
 290 invasere omnem late vitia omnia terram,
 291 Melpomenes graviora tuba tragicoque boatu
 292 privata cum monstra domus numeroque modoque
 293 effera Sidoniae portenta tyrannidis aequent
 294 Aonis commissa notis graphioque pedestri
 295 Tantalida Belique genus Thebasque cruentas,
 296 quos Perses docuit mores, quos Medus et Assur
 297 et Macedum cum stirpe nurus, et Caesare multo
 298 dissimilis jam Roma sui tum Rhenus et Ister
 299 et Rhodanus Celiboque Tagusve pallidus auri
 300 perdita multiplici foedarint saecula tabo ;
 301 sic plani dociles animi facilesque ruinae
 302 praecipitem traxere lumen mersosque profundo
 303 calcavit scelerum Stygis immedicabile virus,
 304 certarunt senibus juvenes puerisque puellae ;
 305 principibus populi scelus est non esse nocentem
 306 impietas ut cuncta mali ni novit et egit.
 307 Nequitiae ni dira lues et avara rapinae
 308 saevities potuisse neget cupiisse professa,
 309 et major quo quisque magis tentasse potiri
 310 ebria Cerito quicquid prurisset Erynnis.
 311 Infremit et cauda terram Leo caedit et armos
 312 in praedam cum signa movet vulpecula furtim
 313 cortis aves noctisque petit viverra per umbras,
 314 sed tamen et pecudes vexat lupo, et Jovis ales
 315 abstinet exorients cognatae sanguine caedis
 316 in semet mortale genus patriamque suosque
 317 saevit, et Augusto superum non parcat honori
 318 quod si alias nostro praesertim contigit aevo
 319 certatim quo quemque pudet justique bonique
 320 et procul expulso regnant mendacia vero.
 321 Unde lues tam dira ? Gravis quae causa ruinae ?
 322 Regibus adscribas morbi contagia quippe
 323 induit unanimes populus cum principe mores ;
 324 referat ergo vides quantum quibus orbis habenas
 325 committas, quis frenas regat, quis legibus adsit
 326 praesidio, nugae justo sine praeside leges
 327 ut levis annoso quae pendet aranea tigno ;
 328 unde premant miseros speciosa potentibus arma

329 ferrea sed nostris tam concessere tyrannis
 330 saecula, quam fulvum ferro preciosius aurum.
 331 Qui modo seu regnis aliquis successit avertis
 332 sive Agathocleis subjecerit artibus urbes
 333 in vitium coiere pares, moresque sinistros
 334 fax igitur pususque pudor justique cupido
 335 fugit, et ignotis furtim latet exsul in oris
 336 vel magis aetheriam superum concessit in aulam,
 337 inque genu supplex lacrimis Jovis excitat iras
 338 pro quibus invasit terras furialis Enyo
 339 exsanguisque fames et lurida pestis Erynnis
 340 Tartarea stipata manu Stygioque veneno
 341 corripit alternis pollutum cladibus orbem,
 342 atque adeo ut trepidam verset sententia mentem
 343 si modo pro scelerum facie numeroque timendum
 344 Deucalionae redeant ne vasta procellae
 345 saecula, et Oceani subsidant fluctibus Alpes.
 346 Aut quod aquas Iris prohibet vas fida timeri
 347 ne Phaetonteis violentior ignibus ignis,
 348 quo commune nefas privatis foedius ausis
 349 invadat propiora furens correptaque flammis
 350 protinus in tenues abeant elementa favillas.
 351 Cum genus electum sceptrisque verendior olim
 352 sancta sacerdotum soboles ut Apollinis ales
 353 verterit in nigras pennarum candida plumas
 354 commissique gregis studio post terga relicto
 355 pastores mollique culta palatia luxu
 356 imperiis fastuque vacent Venerique meroque
 357 et septem geminae tabo saturentur Echidnae
 358 scilicet immensi proles aeterna parentis
 359 virginis ex utero mortales induit artus
 360 perque ter undenos hominis mala pertulit annos,
 361 pauperiemque aestumque geluque famemque sitimque
 362 confessusque deum per tot miracula tandem
 363 verberibus spinisque lacer de more latronis,
 364 affixis ligno manibus pedibusque pependit
 365 et mendicati jacuit sub fornice saxi,
 366 ut ferus et tabulis longe contrarius haeres
 367 de Pastore Lupus fieret tantique redemptum
 368 sponte gregem savo lacerandum traderet hosti,
 369 et foret exitio certae medicina salutis.
 370 Tum Petrus atque alii victa quos morte Redemptor
 371 gestorum testes assertoresque suorum
 372 esse dedit Stygiique minas calcare tyranni
 373 et magni reserare fores et claudere mundi ;
 374 in luctu traxere dies noctesque precando
 375 extorres inopes extrema per omnia ducti,
 376 dum crucis exstruerent lustrato ex orbe tropaeum
 377 non aurum, non regna sibi famamve petentes :
 378 sed Domini pro laude mori populi que salute
 379 experti genus omne mali vitaeque necisque
 380 commissi posuere gregis cum sanguine curam
 381 Pontificum summos ne non mercatus honores
 382 surriperet scortisque palam non unus Iason
 383 empta subhastatae patrimonia venderet aulae.
 384 Et miseras pietatis opes inopumque levamen

385 Salmacis et Gillo traheret Phrygiusque minister,
 386 quando haec coccineo donare palaestra galero
 387 ausit et in terris caelestia distrahit hispo,
 388 nec pudet hunc hominum cervici imponere cujus
 389 spurca dapes calvi vincunt adipata Neronis.
 390 Ut nec Iuleae faex ultima gentis in illa
 391 colluvie caveaque probri stuprisque nefandis
 392 non temere sub pelle latens habituque ferino
 393 turpius humani prostravit jura pudoris
 394 officium partesque viri tempusque putanti.
 395 En cognata deo praecordia dextraque nutu
 396 digna levi reserare fores et claudere caeli,
 397 en vivi simulacra Dei quae pronus adores
 398 summissoque genu pedibus, des oscula supplex,
 399 o foedae scelerum sordes, o dira ferarum
 400 prodigia, o desunt tantis aequalia monstris
 401 nomina, conceptus animi frustratur hiantis
 402 lingua, pares impar factis extundere voces,
 403 hos dedit, o pietas, tibi Constantinus in usus
 404 Ausonias Silvester opes, morboque levatus
 405 Romula Threiciis mutavit moenia lustris
 406 ebria deliciis ut turpis adultera reges
 407 allicerent moechos quorum complexibus haerens
 408 iret in omne nefas hortareturque morantes
 409 perque vices prensam gladio defenderet alter
 410 religionis opem protenderet altera lapso.
 411 Ille piaae grave mentis opus dignumque patravit
 412 majestate ducis facinus nec praesul abusus
 413 concessis laudis pietas certavit utrimque
 414 relligioque virum terra caeloque probante
 415 haeredes damnare decet male viribus usos ;
 416 nam consanguineum caput insignire tiara
 417 degenerisque notae sobolem vulgata priorum.
 418 Plurima jam trito fas asserit orbita curru,
 419 par fuit et votis aliquid concedere regum,
 420 cum fomenta darent inopi quae tristis egestas
 421 posceret, et victu tenues, et veste juvabat,
 422 ignoscas hoc fonte tamen quo denique ventum ?
 423 Omnia metiri pretio didicere, quid illi
 424 promercare negant ? Connubia solvere nulli
 425 concessum, certoque gradu jungere non est ;
 426 jungeris oblato tamen et disjungeris auro.
 427 Qui sua vendiderat fracta sibi parte bonorum
 428 cum consorte tori se cuncta dedisse professus
 429 morte luit subita vafrae perjuriam linguae,
 430 et Magus oblato sancti dum flaminis auro
 431 imposita conferre manu sibi munera poscit,
 432 sector ut in medium pluris divenderet emptum
 433 vivus in arbitrium Stygii venit impius hostis
 434 propulsante Deo suffecti voce ministri
 435 flagitii scelus et dirae contagia pestis
 436 exitio quondam populis orbique futurae,
 437 forte superstitio mentes agitabat avitas
 438 scilicet et falsa ludebat imagine recti,
 439 jejunas macies animas, ut acutius aetas
 440 nostra sapit multo praecincta sophismate pectus

441 et minus auditis rerum quam credula visis
 442 cultius humanis divina reponit elenchis,
 443 ambigis ? Antiquis exempla recentia confer
 444 per gentes cum jura dabat, cum vota regebat
 445 arbitrio Dis nostra suo sceptrumque tenebat,
 446 spinthria famosis Elephantidos eruta chartis,
 447 nec tibi tunc placuit faceres cum Roma Priapo
 448 quo mirere magis jam tum regnante tyranno
 449 jussa Palatini decedere finibus agri,
 450 tu vindex censorque gravis, tu regula morum
 451 quo potius meliusve nihil, nil sanctius usquam,
 452 fas et jura volunt si rite Vicarius illi
 453 qui caelum terramque regit de Virgine natus.
 454 Ni revocas certe venalem Elephantida passim
 455 per plateas vicosque sinis per compita ferri,
 456 nunc et imaginibus ad vivum ex ordine pictis
 457 irritent ne picta minus quam scripta furentes,
 458 maternis commissa notis tum ne qua legenti
 459 eriperet dubiae fructum sententia vocis.
 460 Largius haec nostri sollertia temporis auxit,
 461 ingeniosa mali profligatique pudoris,
 462 nil non ausa nefas miseris committere chartis.
 463 An quod Aristophani licuit Flaccoque negabis ?
 464 In tenebris tunc orbis erat, nunc luce coruscat.
 465 Et tamen ii damnant quae praecipis ipse tyrannos
 466 instituis lenis alius scortisque lupisque
 467 et quorum meminisse pudet dictata ministrat.

ANDREAE DACTII SYLVA CUI TITULUS ICONES.
 IN LAUDEM JULII MEDICES ENARRATA.
 DACTIUS , "ARGUMENTUM"

P.195A v.1 Dum capreas jaculis ageret per lustra fugaces
 2 Narcissum fidae deseruere manus,
 3 captat amans tacitis vestigia passibus Echo
 4 et pudet et soli gaudet adesse tamen,
 5 ille labore, simul fessus, praedaque potitus
 6 constitit, a quis adest : "Huc coeamus, ait,
 7 victus amore pudor. _ Coeamus", retulit Echo,
 8 et petit optatis ora premenda notis.
 9 Prosiluit nymphaque, puer praedaque relicta
 10 diffugiens dubios murmurat ore sonos,
 11 futilis insultat paribus sermonibus Echo
 12 et tepide lacrimis immauere genae.
 13 Spreta dolet, comitosque fugit specubusque sub altis
 14 tristia perpetuo membra dolore liquat,
 15 crescit amor, crescuntque graves in pectore curae.
 16 Nulla dies, nullum profuit artis opus,
 17 vultus abit, tenues vanescit corpus in auras ;
 18 occupat ossa lapis, vox tamen una manet :
 19 hac ope Junonis acceptas reddere voces
 20 gaudet, in hoc uno vita reducta sono est,
 21 quis vetat ancipiti tenebrarum carcere clausum
 22 vocalis Nymphae verba referre modis.

23 Quod summum natura dedit, Fortuna reliquit
24 in laudes referam gratus Iule tuas.

P_195B v.1 Dives Achilleos quo carmine panderet ausus
2 Maeonidem Phoebique parens omnisque sororum
3 instituit facunda manus triplicesque Maroni
4 indulisit numeros Helicon et conscia Baccho
5 Nysa corymbiferis Nysa usque exercita thyrsis
6 Cirrhaeumque jugum Cirraeque potentior oestro
7 Maecenas, Auguste, tuus, tuque, optime Caesar.
8 At mihi Pieridum si non lymphatus ab antro
9 attonitos movet ore sonos afflataque fingit
10 spiritus Aoniis agitans praecordia flabris
11 Romuleae tutela domus sceptrique supremi
12 rector adest Tuscoque celer non segnior auro
13 quem sancto natura Duci poscentibus astris
14 consortem comitemque dedit generisque sacrique
15 muneris imperiique vices curasque gerentem.
16 Quo pelago jactata ratis, quo Castore pubes
17 littera tuta petat portuque subintret amico
18 auspiciis confisa novis, navalia, laeti
19 sidere non alio subeunt per caerula nautae.
20 Ipsa licet mediis Helenae se tristis in undis
21 inferat, tortis alte unda dehiscat arenis.
22 Ergo ades, et tumidi servatum ex aequoris undis
23 in medio concepta mari dirasque tenebras
24 inter, et infensi minitantia fulmina caeli.
25 Solvere vota jube non quas Gangetida tellus
26 fundit opes Arabumque domus Hermusque Tagusque
27 quas gemina premit arce polus Rhamnuntis alumnae
28 munera continuo dominum mutantia lapsu.
29 Te monumenta decent volucris superantia cursum
30 temporis et nullo fatum passura sub aevo ;
31 ille ea cujus agis partes, cui vivimus olim
32 pro meritis congesta dabit nos longa feremus
33 qua licet, in populos meritae praeconia famae.
34 Quod si priscus amor grati si pectoris ulli
35 mens superum devota placet pietasque fidesque
36 Julius in longum Medices cantabitur aevum.
37 Tu modo quas tenui meditatur harundine vates
38 crescere laude tua non dedignere Camenas,
39 sic ubi labra merum nec jam capit area messes,
40 alma Ceres parvi laetatur munere serti
41 sepositis Bromium placat sibi vinitor uvis.
42 Et qui stelliferi frenos moderatur Olympi
43 divitias, fasces, populos, largitus et urbes
44 aspicit exiguis fumantes ignibus aras
45 contentus precibusque piis et turis honore,
46 sed neque marmoreis aulaea nitentia templis,
47 non ebur aut fulvum signis radiantibus aurum
48 artificumque manu et variis stellantia gemmis
49 pocula et aurata candentes fronte juveni.
50 Tam faciles flexere deos quam conscia recti
51 simplicitas fucoque carens et pectore longe
52 inferior, sed fortunis par victima dantis.

53 An renuam quia digna tuo munuscula cultu
 54 non adsunt quaecumque mihi Rhamnusia facit
 55 in laudes conferre tuas, quis magna daturum
 56 crediderit qui parva negat ? Licet invida frontis
 57 abstulerit fortuna decus veterisque rapinae,
 58 pertulerim portenta novus sine crimine Phineus ;
 59 mens tamen et vires animi dotesque supersunt
 60 ingenii, et fato vix concessura potenti
 61 munera Thespiadum, quod si, te praeside, tristes
 62 Harpyias Zethesque puer Calaisque repellent
 63 jactatumque diu caeli pelagique ruinas
 64 excipiet tellure quies portuque secundo
 65 forsitan (esto procul livor, mitissimus adsis
 66 Juppiter) Aeneadum numeris accesserit alter
 67 Maeonides, aequet patrios qui carmine fastus
 68 complexus caelum ac terras rerumque quod usquam est
 69 adscribarque tuis non ultima gloria rebus.
 70 Sed tamen haec olim Deus et tua cura videbit
 71 interea promissa fides concepta sequatur
 72 nomine vota tuo Latias cum Virbius oras
 73 impleret laudesque tui patruelis et altum
 74 Pontificis decus et vestrae praeconia gentis
 75 aeterno si fata sinant committeret aevo.
 76 Unde ferar quo fonte deae, quis carminis orsus
 77 quis mihi limes erit, quae prima aut ultima dicam,
 78 quae medio referam cursu, quae pectora, quae vis
 79 ingenii, quae mens tantae fastigia molis,
 80 qui capiant animi, quae vox, quae promere tantos
 81 conceptus, quae verba queant, quis spiritus oris,
 82 quae fauces, quae lingua sonet ? Tribuenda Platoni
 83 si qua fides, non absque deo modulatur Homeri
 84 carmen Ion majorque suis tunc viribus altos
 85 eructat numeros, et dignas numine voces
 86 quid qui Bistonio committit Pallada Marti,
 87 et Diomedea molitur vulnera dextra
 88 qui Phrygios Latia componit sede Penates,
 89 qui lyricos movet arte modos, qui Phasin, et Argo,
 90 qui socerum generumque canit, qui corpora mutat,
 91 Oedipodionias cingit qui milite Thebas,
 92 Punica qui Latiae summittit castra securi,
 93 quique alii merito signantur nomine vates,
 94 et mihi numen adest ; trepidamque in pectore dulcis
 95 nescio quis, sed agit mentem furor, excidit omnis
 96 cura dolorque animo fugit omnis corpore languor :
 97 mortalesque abeunt sensus, subit igneus artus
 98 ignoto de fonte vigor, tum major anhelus
 99 spiritus ore sonant, fibrisque exaestuat imis
 100 fervidus, et pavido concutit praecordia motu
 101 ingentesque avido captus et sensa ministrat
 102 humanis majora modis ; tuaque omnia, teque,
 103 majoresque tuos transactaque saecula monstrat.
 104 Ut quondam modico sublimis in aggere ductor,
 105 cum procul aere dato turmas percenset euntes,
 106 luce recens orta, vel sole cadente sub undas,
 107 praeteritos post terga notat : praesentia cernit
 108 ora virum, longe venientum prospicit umbras.

109 Sed quid avos proavosque tuos, Cosmamque, Petrumque
 110 gentilesque alios referam, longumque superbae
 111 stemma domus ? Veterumque notis et voce recenti
 112 nomina dicta mihi ? Lacrimas removemus inanes ?
 113 Admissumque prius properata morte parentem,
 114 (pro miserum mortale genus) quam nosse liceret.
 115 Haud equidem captus hominis, mentesque putarim
 116 consilii potiora Dei : licet aetheris alti
 117 participes animos, cognataque semina caelo
 118 hauriat ; et summi decoretur imagine patris :
 119 immensum parvis complexus finibus orbem,
 120 cum levis et puro caeli de lumine fulgor
 121 corporis obductus tenebris, et pondere terrae
 122 ima petat. Longeque extremis exsul in oris
 123 perfectum capiat nihil : imperfectusque et ipse.
 124 At Deus aeterni fons luminis, omnia solus
 125 quifecit, solus tenet omnia, temporis exsors.
 126 Si tamen, humani quanta est prudentia captus,
 127 iudicium proferre licet, mandataque famae
 128 patre super concepta tuo, majoris acerbum
 129 indolis amisit nullum Florentia civem.
 130 Sive placent animi vires seu robur honesti
 131 corporis, et faciles utrimque ad munia dotes.
 132 Quem si fata virum nostris non invida rebus
 133 servassent Patriae incolumen fratrique tibi,que,
 134 forsitan Etruscos fines et litus utrumque
 135 ocus. At superi satis est optata parentum
 136 progeniem praestare sacram ; quando omnia vestris
 137 imperiis terra, atque mari caeloque geruntur.
 138 Nec licet arcanas homini cognoscere causas,
 139 qui cursus, qui finis erit ? Latet abdita magni
 140 mente Jovis decreta dies ; mutatur in horas
 141 turbida mixtorum series subeuntque caduntque,
 142 alternis animata modis ; cursimque feruntur
 143 tam multae rerum species, numeroque, locoque
 144 et quo quaeque magis protenditur undique moles :
 145 hoc plures rerum facies recipitque fovetque,
 146 hoc mage diversis gaudet variata figuris.
 147 Nonne vides quot terra ferax animalia, plantas,
 148 quot frutices, quot fert herbas ? Quot caerulea pisces
 149 alta natant, quot aves insectaque sustinet aer ?
 150 Anne putem vacuas cultoribus aetheris oras ?
 151 Caelestesque globos et inania sidera ferri ?
 152 Ut lites et amicitia coeuntia nectant
 153 inter se, et versis solvant elementa catervis.
 154 Scilicet omnipotens opifex et nescia falli
 155 Naturae fecunda manus, mortalibus amnes
 156 indulisit Veneris numeros ? Aeterna malignis
 157 actibus, et saevae fraudavit more novercae.
 158 Quodque imis large rebus dedit, abstulit altis.
 159 Ut breviora toro qui stragula possidet, ima
 160 crura tegens, caput infelix et pectora nudat.
 161 Usque adeone furens agitant dementia quemquam
 162 credat ut haec, et non potius contraria prorsus ?
 163 Quicquid habent igitur supremi elementa decoris,
 164 illius umbra tibi est, summo qui fulget Olympo.

165 Utque nitens caeli facies terraeque marisque
 166 vincit opus, cum materiae, tum molis honore.
 167 Sic forma, sic multiplici discrimine rerum
 168 caelesti mortale decus concedit. Eoque
 169 siqua tenent humana boni, referuntur ad ipsum
 170 principium, rectique patrem, propiusque quiescunt
 171 auctori conjuncta suo, qui fonte perenni
 172 fusa sinu rursus recipit. Ceu flumina magnus
 173 Oceanus, totum late diffusa per orbem
 174 mittit, et ingenti redeuntia suscipit alveo.
 175 Hinc tuus exacto mortalis tempore cursus
 176 deseruit terras genitor, vitaeque futurae
 177 ad decus et numeros, sibi quae virtute pararat :
 178 Elysios inter proceres loca liber adivit.
 179 Inde ubi ad excelsi perventum culmen Olympi,
 180 protinus ambrosiae succis et nectare sacro
 181 perfusus : nunc nam periturae munera vitae
 182 aggreditur pulsaque procul caligine laetus
 183 despicit in medio libratam pandere molem ;
 184 atque irrumpentem terras circumque prementem
 185 Oceanum, fuso late super aere cingi,
 186 aetheraque immenso complexum cetera gyro.
 187 Tum variam externo fulgentem lumine Phoeben,
 188 quosque errans ignis Cyllenius implicat orbem
 189 Phoebeos subter radios, quos mane sequatur
 190 Phosphorus, et sero praecedat sidere Vesper ;
 191 atque ipsum adversis nitentem ad summa quadrigis
 192 naturae lucisque ducem, terramque fretumque,
 193 et totum igniferis implentem curribus orbem.
 194 Sanguineumque rubens et tristi caede cruentum
 195 Martis et horrendum miseris mortalibus astrum
 196 inde Jovis regale jubar placidamque corusca
 197 luce facem, populis et regibus utile sidus.
 198 Mox et falciferi liventes cominus ignes
 199 Saturni et lento pallentem frigore flammam
 200 nec procul innumera stellati lampade caeli
 201 signifer et variis simulacra ingentia formis
 202 apparent altoque patet via lactea clivo.
 203 Tum fugiens oculos, et qui rapit omnia secum
 204 concolor orbis adest, motu modo cognitus ipso.
 205 Qui celer et mundi sonitu modulantis acuto
 206 altius assurgit, cum Luna gravissima vocem
 207 deprimat, et medios diversis motibus orbem
 208 temperet in dulces numeros discordia concors.
 209 Ut quondam variae certo discrimine chordae
 210 concentum peperere lyrae blandumque sonorem.
 211 Et quamvis ingens tanto de corpore qualem
 212 fas prodire sonum late omnes impleat oras,
 213 non tamen humanas quoquam descendit ad aures,
 214 sic qui praecipitem summo de vertice Nilum
 215 accolit ; auditos primae sub tempore lucis
 216 ingentes nescit strepitus undaeque ruinam,
 217 ilicet ardentis reseratur machina mundi
 218 caelicolumque domus summique excelsa Tonantis
 219 regia, non ullis obnoxia motibus, imus
 220 ambitus, extremi finisque novissimus orbis,

221 complexus qui cuncta nihil se deserit extra.
 222 Hinc neque finitum credas, neque dicere possis
 223 immensam ; sed enim nixus consumpsit in illo
 224 et vires natura suas, corpusque supremum
 225 esse dedit, tantoque alias excedere moles,
 226 quanto nobilior causis mens prima secundis.
 227 Haec domus, et vitae sedes tranquilla beatae.
 228 Lucis inaccessae sedes, immobilis, exsors
 229 turbinis omnis, ubi praedivite copia cornu
 230 spargitur, omnigenum late diffusa bonorum.
 231 Quam neque mortales ullis auditibus aures,
 232 nullus Arestorides centenis orbibus Argus
 233 luminis aut ullo penetravit acumine Lynceus,
 234 scrutatus pelagique vias et viscera terrae.
 235 Non quae naturae ductus causasque latentes
 236 inclyta sollerti cinxere indagine corda
 237 divitias hic ipse suas seseque triformis
 238 explicat, et posito nudus velamine vultus
 239 aeternos aperit Deus, et simul omnia secum.
 240 Participesque sui praesentia cernere mentes
 241 quae cuicumque libet nullis ambagibus ultro
 242 imperat : acta cupit pariter potiturque voluntas.
 243 Haec postquam spectata satis patuere parenti,
 244 et simul arcano fatorum numine vidit,
 245 siqua deum livore sibi periisse putabat,
 246 accessura tuis maturo tempore rebus.
 247 Gaudent aeterno grates agit inde tonanti.
 248 Dumque recens animo confert ventura peractis,
 249 tantarum vel pluris emat fastigia rerum.
 250 Exiguae tam parva morae dispendia laetus,
 251 tam larga mercede Deum cumulata reponi.
 252 Haeredemque suum spectans te, et laudis, et aevi.
 253 "Gratum, ait, est superi, quicquid mihi munere vestro
 254 concessum, generique meo, vos numine vestro
 255 in sobolem tranferre meam." Nec plura locuto
 256 annuit omnipotens, et decernente senatu
 257 caelicolum, quondam multis optata parentum
 258 unius accipiunt cumulatis pectora donis.
 259 Protinus ingenii donat Saturnus acumen,
 260 Juppiter imperium majestatemque verendam,
 261 corporis atque animi vires in proelia Mavors,
 262 sacra deum moresque pios indulget Apollo,
 263 ora Venus Charitum donis mentemque decorat,
 264 Majugena eloquio et sollertibus imbuit actis,
 265 dat castum Dictynna animum, prudentia Pallas
 266 consilia, et faciles Musarum ad munera vires.
 267 Quid Juno, quid Parca triplex, quid contulit Hebe,
 268 longa referre mora est, quid cetera Numina divum.
 269 Immunis toto non est inventus Olympo
 270 officii. Curtus Solymas Judaeus ad aras
 271 sic penetrat. Sic Arsacidus sua turba salutatur.
 272 Sic animosa vices agitabat Roma Decembres,
 273 et natalitiis Augusta palatia Libis
 274 patriciis admixtus eques populusque colebat.
 275 Denique ut exemplis rerum prioribus utar,
 276 sic larga superum coiere ad munera dextrae :

277 Japetionidae fraudem cum fraude repressit
 278 Juppiter, et cauti nequicquam voce Promethei
 279 admonitum lusit missis Epimethea donis.
 280 Unde mare et terras facto velut agmine morbi
 281 invasere graves, et qua prius ordine certo
 282 mors erat unius jaculo contenta senectae ;
 283 induit innumeras facies, variosque nocendi
 284 corripuit vesana gradus tum pyxidis ulte
 285 intercepta labris, pendens intusque, forisque
 286 macerat ancipites lento spes aegra flagello ;
 287 feminea properante manu quae prima laboris,
 288 prima mali causas homini dedit, improba postquam
 289 pellexit facie pulchri Titana voluntas.
 290 At tibi non vultu cuiquam impositura severo
 291 majestas, non fallaci laesura sereno
 292 gratia, non blandis animum lactantia verbis
 293 pectora nec tacito mox deceptura veneno
 294 muneribus concessa Deum ; sed provida virtus,
 295 sed pietas, sed cana fides, sed conscia recti
 296 vox animi, et faciles certo discrimine mores.
 297 Quaeque decent animum generosi Principis artes.
 298 Cognatis qui se genitum, qui credat amicis,
 299 qui patriae rectique tenax et cultor honesti.
 300 Quique sua generis inter putet esse salutem
 301 humani et toti civem se commodet orbi.
 302 Talis erat magni Cyrus Xenophontis, et ipsum
 303 doctus Aristotelis finxit Plutarcus alumnum
 304 discipulo praecepta suo. Quos protinus ille
 305 implevit numeros et dignum nomine tanto
 306 exhibuit tibi Roma ducem Germanicus olim
 307 privato quod jure dedi, potiora daturus
 308 si superi si fata sinant. Sed Flavius alter
 309 praestitit, imperio quamvis brevior potitus.
 310 Sed quid ego angustis immensum finibus orbem
 311 metiri et parva circumvallare corona
 312 inter se spatio nusquam coeuntia longo
 313 melior, atque hominum longe conatibus impar
 314 verso onus audaci, nimium confise volatu.
 315 Quo me ducis, amor, quonam temeraria grati
 316 vis animi, quo cara ruis sic aethera pennis,
 317 dum petit et cera junctas non respicit alas
 318 proditus, aequoreis nomen dedit Icarus undis
 319 et Phaethontiadae stillant Electra sorores
 320 Eridani ripas circum fraternaque busta.
 321 Nam neque Palladiae quamvis nitantur Athenae
 322 ingeniis studioque virum non sparta Lycurgi
 323 legibus et crebris regum subnixa tropaeis,
 324 quem nostro componat habet, non Isthmia tellus
 325 Bellorophonteae leto cantata Chimaerae.
 326 Non Jovis Augusto celebres certamine Pisae,
 327 non Helis, non Argos equis, non Hercule Thebae
 328 insignes Bacchique sacris non alta cothurni
 329 nomina Tantalides Agamemnoniaeque Mycenae,
 330 non Phthiae Pellaeque duces Macedumque tyranni.
 331 An referam celebres Siculis regionibus urbes
 332 et centum magni cunas Jovis oppida cretae,

333 et Persis Salamina gravem gratamque Cytherae
334 Cypron, Apollineamque Rhodon Delumque, vel ipsas
335 Cycladas et sparsas freta per Neptunia terras.
336 Et quaecumque loci clarum bellove togave
337 ingeniosa suum produxit Graecia nomen ;
338 scilicet a teneris extremae ad summa senectae
339 congestas virtutis opes, numerosque per omnes
340 integra venturis rectae exemplaria vitae
341 gentibus una dabunt Argivae moenia terrae,
342 quae neque Tantalio reges de fonte bibentes.
343 Urbibus adscripsere suis nudique sophistae
344 Aethiopum mixtique salo gens conscia Nili
345 ausa virum primas olim sibi poscere partes.
346 Non Babylon Assurque udis laetisimus agris
347 et septem gemino praecincta Ecbatana muro
348 Persepolisque faces. Scorti passura furentis
349 imperiis Lenaeae tuis non divitis aula
350 Maeonii Sardes regis. Parthique fugacis
351 regia et averso Scythiae nimiumque propinquo
352 Africa laeta minus Phoebeae lampadis igne
353 quasque cadens lustrat Vesper, quas lucifer urbes,
354 qua tandem quo Diva ferar, si Barbara nostris
355 exiguum confert quamquam latissima votis
356 gens hominum natura minus, seu contulit illi.
357 Sive decus gentis nostras non venit ad aures
358 insidiis Fortuna tuis ditissima cultu
359 multiplici. Studiisque potens si Graecia nomen
360 ingeniumque suum vinci viresque fatetur
361 atque ultro tanti certaminis impari honori
362 in stadium prodire negat ; si maxima Roma
363 prole virum felix et majestate verendi
364 nominis imperio late tot functa per annos,
365 nescio quid tacito secum conquesta pudore
366 ingenua tandem pro libertate fatetur
367 multa fore ut praestet, non se omnia posse daturam
368 quicquid in arcanis servant aeraria fastis
369 antiquae virtutis opum atque his ora resolvit,
370 exhaustit totum magnis delectibus orbem
371 praeceptor, Trajane, tuus, dum lancibus aequis
372 comparat inter se magnorum gesta virorum
373 et studia et mores ad calcem vertice pensat.
374 Quot tamen ille meos ingentia nomina cives
375 praeterit intactos dum multa indagine nusquam
376 invenit externum nostris quem comparet ullum,
377 ergo non urbes ipsum sed vicinus orbem
378 magnorum virtute virum quos provida magni
379 fata dedere Jovis maturo tempore quales
380 poscebat ratio et rerum fortuna mearum
381 inque dies campo sensim certaminis aucto
382 crevit amor verae summa ad fastigia laudis.
383 Parvus ut exiguus exiens e fontibus amnis
384 accipit incrementa supervenientibus undis
385 et crescit pariter crescentibus alveus undis,
386 donec laxatis prorumpit in aequora ripis.
387 De superis ingrata querar morumque priorum
388 immemor et decoris si quod mihi fata negabunt

389 invida concessum nostrae dedigner alumnae
 390 qui cum communi surgit mihi gloria fato
 391 invidisse patri natum conquesta vetustas.
 392 Quis matrem, nate, laudet virtute gementem
 393 an mea legitima fraudari viscera fama
 394 enitar, si ferre parum est tam degener absit
 395 livor, et insano rabies agitanda cothurno.
 396 Quin et congestos Florentia jungat honores
 397 et cumulata ferat meritae praeconia famae
 398 major avis atavisque patris praestantior aevo
 399 unius virtute viri, quem singula si non
 400 exaequare valent praeclarae nomina famae
 401 cuncta simul poterunt, nec me pulcherrima rerum
 402 tot quondam dispersa locis tot dissita saeculis.
 403 Nunc congesta simul spectare pigebit in unum
 404 quem (nisi me toto fallunt oracula caelo)
 405 ad majora vocant Tetricarum pensa sororum ;
 406 jam pater alterno gaudebit Tibris Iulo
 407 quemque modo cupidis genitum complecteris ulnis
 408 non invita tuae concedes filia matri
 409 rectorem rerumque caput quas sustinet olim.
 410 Interea laetis avibus Florentia magni
 411 utere sorte tui virtutibus utere civis ;
 412 at tu, qui tanto victurum nomine carmen
 413 concipis et gratae revocas pietatis amorem,
 414 non extrema meae munuscula suscipe dextrae
 415 tantorum secura tibi fomenta laborum
 416 inde quatergemini repetens primordia Jani,
 417 antiquae decus Hespereae Latiumque superbum
 418 Albanosque patres et stemmata longa recenset,
 419 Aeneadum Tatiosque Titos et regna Quirini
 420 virtutes animosque virum bellique domique
 421 quot quos quis ducibus qua nacta sit arte triumphos ;
 422 tum Graios memorans proceres et Barbara regum
 423 nomina quandoquidem tantis non orsibus unae
 424 "Sufficimus totius simul utere viribus orbis"
 425 dixerat, et laeto deflectens lumina vultu
 426 nectareos spaegit mirantis in ore liquores.
 427 Tum sceptrum et triplici fultum dat lemante delton.
 428 Interea (mirum dictu) tremere omnia late
 429 audirique fragor caeli crebisque corusci
 430 luminis amburi coepit fulgoribus aer
 431 lux oculos, horror mentem, sonus abstulit aures.
 432 Mox afflata leves redeunt in pectora sensus.
 433 Ecce autem posita mortalis imagine vultus
 434 et quondam Libycis ingens in finibus Atlas
 435 Tantalus in Sipylo, Titanis in aequore Delos
 436 et quos saxificae mutarunt monstra Medusae
 437 urbis in effigiem tectis conversa superbis
 438 ardua septenis fastigia collibus alte
 439 ostentabat ovans turrito vertice Roma,
 440 qualis erat domitis Asiae Libyaequae tyrannis
 441 alta triumphales tulit ad Capitolia currus,
 442 Scipiadum cum sacra domus Macedumque sarissas
 443 Aemilius Latii suspendit in aede Tonantis,
 444 Tarpei cum templa Jovis Pompeius et aras

445 ditavit regum spoliis Asiaeque rapinis,
446 cum Gallos Libyosque duces Pontique rebelles.
447 Reliquias vario produxit stemmate Caesar
448 aut post Cantabricas acies Indosque subactos
449 excultam fovit ludis Octavius Urbem ;
450 huc simul exhaustae properabant civibus urbes
451 Europes Asiaeque agilis Libyaeeque juvenus,
452 non secus ac prono labuntur in aequora cursu
453 flumina et Herculeum lapide petit undique ferrum.
454 Hic turba spectante Jovis non unus ad aras
455 duxerat innumeros spoliato ex orbe triumphos,
456 signa, aurum, tabulas, vestes, toreumata, gemmas,
457 tus, ebur, arma, greges, famulos, syngrammata, mensas,
458 quicquid habet qua lata patet tellusque fretumque.
459 Jamque unis olim totumque moenibus orbem
460 congestum spectare dedit felicibus astris.
461 Roma parens carae non dedignatur alumnae
462 progeniem meritaee renuentem praemia laudis
463 nuneribus decorare suis, nullique priorum
464 concessum, monstrare decus, cumulata sub uno
465 pectore magnorum praeconia longa parentum.
466 Ergo age, post primi cunabula laetior aevi
467 da Famae da, Musa, virum calcataque nulli
468 Ausonidum certo fastigia corripe passu,
469 nec tibi Parrhasii delectum more petenti
470 Junoni tabulam Sicalae cum pingeret olim
471 una det urbs lectas quaesita exempla puellas.
472 Sit Babylon, sit Roma licet, sit maxima rerum
473 ne dum Trinacriis Acragas non primus in oris
474 ante tuos oculos ingentis machina terrae
475 cumque suis late pateant cultoribus urbes,
476 quas Notus et Boreas, quas sol oriensque cadensque
477 aspicit a primis ad nostri temporis annos.
478 Hinc tu magnorum effigies et gesta virorum
479 et studia et mores quos quovis tempore sumptos
480 arbitrio dispone tuo imparibusque recepta
481 partibus exactae simulacra repone figurae,
482 qualis apes variis cum prata coloribus halant
483 hos petit atque illos sollerti indagine flores
484 collectumque ferens in cerea tecta liquorem
485 dulcis composito distinguit nectare cellas,
486 aut tessellatis qui vermiculata refigit
487 in tabulis, pictove solum qui marmore crustat,
488 qui spatio fallente oculos in minima partem
489 segmina componit varias imitata figuras,
490 quanquam autem formae puero juvenique viroque
491 contigerit par usque decus patiensque laborum.
492 Corpus et aequales tanto pro corpore vites
493 altaque multiplici proavorum stemmate constant
494 nobilitas patriis toties ornata tropaeis.
495 Ampla domus late cunctarum copia rerum
496 non ego Fortunae dotes et munera cuiquam
497 naturae decori vertam cui contigit unis
498 laudibus iis magnum sapere et se credere caelo ;
499 ad superos animi vires gentemque beatam
500 dant aditum summoque locant bona mentis Olympo.

501 Hinc puer ingenti sacrae virtutis amore
502 captus et iis stimulis Medices agitatus Iulus,
503 quos nam ille dies momentaque temporis egit
504 naviter, ad summae properans fastigia laudis :
505 quam comis, quam mitis erat, quam fronte serena
506 laetus et ingenio facilis semel hausta tenebat
507 acer et alloquiis promptus cautusque serendis,
508 se nulli praeferre boni laudator egenti,
509 largus et usque sibi constans non dextra tumentem
510 viderunt, non laeva humilem, sic Martius olim
511 Marcellusque Solonque fuit, sollersque Pericles,
512 non alius gravitate Cato, pietate Lycurgus,
513 relligione Numas, Minos probitate fideque,
514 Attilius Masinissa novum sanctumque pudorem
515 quaeris Amazonium talem vidistis Athenae
516 Hippolytum, talis proles generosa Thyanes,
517 et Capitolina tentata libidine virtus
518 hac spectanda tenuis pueri signetur Iuli,
519 pendenti titulo effigies altaeve latentes
520 tam multas animi facies variosque recessus
521 exacte prompsisse meis temerarius auctor
522 jactarim numeris cum corpora pictor apertos
523 mensurae sortita modos certasque colorum,
524 quas capiunt oculi species perfecta negarit
525 supremam exegisse manum felicior ille,
526 successu cujus tabulas contingere nemo
527 sustinuit coeptae forma prohibente figurae,
528 qui tamen illius Venerem superaverit olim
529 inventus mea successu sint vota secundo,
530 ingentemque ferant vates ad sidera famam
531 auspicio meliore viri vincamur inertes,
532 dum meritos referat virtutis Iulus honores,
533 in votis haec prima meis laudare paravi.
534 Quisquis in hoc primam tulerit certamine palmam,
535 Vos, age, Musarum proceres felicibus astris
536 huc vigiles animos curasque intendite vestras.
537 Materiam indulget princeps causamque labori ;
538 surgite, adeste, juvat generosi pulveris haustus
539 arentem positae fines circumdare metae.
540 Quem dederit fortuna loco superique faventes,
541 ne tamen ingentes ausus et maxima rerum
542 deterat angustis levior fetura supinis,
543 ingenii numeris animi circumspice late
544 regna, duces, populos praeclaraque gesta virorum
545 Assyrios Medosque feros Persasque superbos,
546 Arsacidam Poenosque truces Nomadumque tyrannos,
547 victoresque duces Macedum proceresque Pelagos ;
548 civiles his junge manus Romanaeque corda
549 Fabricios, Curios, Brutos acresque Camillos,
550 Scipiadas, Fabios, Paulos Drusosque, Neronas,
551 Publicolas, Scauros, Catulos, Celerelque Metellos,
552 Flaminius, clausos Decios, mitesque Lucullos,
553 et cum Pompeiis victricia Caesaris arma :
554 his tu si qua petis puero de fontibus hauri
555 indefessa ruunt plenis tibi flumina ripis.
556 Dant juga, dant campi liquidas cum vallibus undas,

557 Hannibal, ingenium sollers patiensque laborum,
 558 robur et aequatae largitur munia vitae,
 559 nec tibi pauca dabit, Nasica, legente senatu,
 560 optimus et magnis junctus patruelibus acer
 561 Laelius, et Graiae cauti Philopoemenis artes,
 562 Pelopidas, Epaminondas summique Laconum
 563 Gracchorumque domus, et quos mora longa referre
 564 tot proceres, tot magnorum decora alta virorum,
 565 hinc animi prudentis opes et robora mentis
 566 intrepidae vistique decus cultusque modestos.
 567 Delige et urgentem matrum vestigia prolem
 568 nec pueri simulacra modo juvenisque decorem
 569 effigiem ponas collatis undique membris,
 570 matura sed mente viri formetur imago,
 571 qui Latias Patriaeque simul moderetur habenas.
 572 Inspice nunc alio naturae lumina campo
 573 Pythagoras et Aristoteles divosque Platones
 574 Socraticaeque domus seriem sophiaeque ministros,
 575 Brahmanas nudosque tepente sub axe Sophistas ;
 576 rursus ab his alias tecum tris pone figuras
 577 sic animi poscente nota sic legibus aevi
 578 nec non legiferi comprehensa volumine Mosae.
 579 Magnorum monumenta patrum seriemque perennem
 580 Judaei recolas generis summosque videntes
 581 regnorumque vices recidivaque moenia gentis,
 582 usque sub extremi disjecta altaria templi
 583 perpessumque deum et nostrae primordia legis,
 584 inde trecentenis animo complectere lustris
 585 quos natura viros in luminis edidit auras
 586 quam multa pietate graves, quam fortibus actis
 587 haec dabit extremos sublimis imaginis orsus
 588 materia, haec grato finem cumulumque labori
 589 afferet, et dignas tanto conamine laudes,
 590 seu cordi est puerile decus, splendorve juventae.
 591 Robusti seu forma viri specimenque senectae :
 592 ipsa autem quamvis late quod carpere possis
 593 uberius, cupidis dent exemplaria votis.
 594 Non tamen ad vivum collatis undoque membris
 595 emicat artis opus perfectaue mentis imago,
 596 plurima cum dederis, nam plura requirit, ut ignis
 597 Hercyniae nactus saltus nemorosaue tesqua.
 598 Talis erat quondam nulla superabilis arte
 599 pictorum vultu pariter Demetrius asper
 600 et mitis cujus veram si pingere nulli
 601 contigit effigiem palmam certatibus illis
 602 promeruit signo propius qui spicula torsit
 603 quid negat aequato paribus certamine telis
 604 impugnam prodire mihi laudemque mereri.
 605 Quod nisi jampridem spatiis excludar iniquis
 606 altius a primo repetitis fontibus aevo
 607 naturam moresque viri peregreque domique
 608 fortunaeque vices exanclatosque labores
 609 claraque perpetuo reserassem carmine gesta.
 610 Quae pietas et quanta viro prudentia, quae vis
 611 ingenii, qua luce bonas tractaverit artes
 612 justitiae, rectique tenax, quam pectore forti,

613 et quibus ille suos animos moderatur habenis,
614 quos casus, qua mente tulit, quam carus amicis,
615 quam patriae, quam cognatis, quo tempore quoque
616 ordine pro merito, per quos sit nactus honores,
617 (per) populos proceresque sibi devinxerit aequis
618 officiis, probitate, fide, sollertibus actis,
619 constanti largaque manu ingenuoque pudore,
620 publica privatis praeponens commoda rebus.
621 Sed revocat fessis properante auriga quadrigis
622 transmissaque jubet tandem consistere meta,
623 quis tamen haec intacta sinat tacitusque relinquat
624 qua pietate graves patriae moderetur habenas.
625 Omnibus ut certo pariter devictus amore
626 ordinibus metui fugiat, laetetur amari
627 civibus aequatos meritis partitus honores,
628 nec modo poscenti faciles accommodat aures
629 allicit, invitatque bonos et provocat ultro,
630 munificus summisque vacans, non despicit ima
631 privatim quibus ille modis, quos pavit egenos
632 afflictasque erexit opes, quae publica quotque
633 ornamenta parat, et magnae consulit Urbi,
634 fortunae qua jura sinunt, et temporis et lex,
635 improbitas motusque graves, et turbida caeli
636 sidera, res hominum vario quas antea fluctu ;
637 quod si quis placido nostros Deus ore labores
638 respiciat certumque olim mortalibus aegris
639 acceleret miseratus opem, dirumque furentis
640 effera sanguinei compescat proelia Martis,
641 nata parentis opes referens Florentia Romae
642 candida coctilibus mutarit marmora muris
643 exemplis, Auguste, tuis, (modo vita supersit),
644 non frustra sperare datur sub praeside tanto,
645 qui vigilem partes animum diducat in omnes,
646 nulla putans indigna sua mortalia cura,
647 ille graves passis casus Stygiique veneni
648 ulcera Paeonias non admittentia dextras
649 morborum fomenta, domos, alimenta, ministros
650 instituit diram superantia munere sortem ;
651 ille et virgineis ingentes coetibus aedes
652 quattuor et victum pariter cultumque paravit.
653 Haec ego non ducam fixis potiora tropaeis,
654 si pietas, si relligio, si numinis arae
655 prima tenent cultuque Deum mortalia cedunt
656 nec patrule minor, quondam Nassica receptis
657 matre deum sacrisque fuit Phrygiaque Cybele
658 parta tamen si quem munitis oppida muris
659 quaesitaeque juvant duris in montibus arces,
660 haec quoque Iuleis arridet gloria rebus,
661 hoc duce non equitum turmis peditumque catervis
662 armorumque gravi strepitu, non sanguine fuso
663 Imperii fines promovimus ardua Tuscis
664 fascibus umbrigenae cesserunt moenia terrae,
665 quae neque fulmineos ignes imitata Tonantis
666 horrisonis tormenta modis, nec mille carinis
667 Atrides Ajaxque ferox et divus Achilles
668 sterneret, et decies geminato milite Xerxes,

669 dum vigil occludit saturos custodia muros.
 670 Nec sopita Ligur invadit culmina miles
 671 aut gravis antra subit fumus vanique timores,
 672 commendat Fabium sine caede recepta Tarentus
 673 oppida tot laudi non adscribentur Iulo
 674 auspiciis quaesita novis telluris Hiberæ.
 675 Scipiades victa Carthagine protinus inde
 676 non obscura tulit periturae oracula Byrsæ.
 677 Quis sperare vetat superum majora peractis ?
 678 Quid non summa boni, virtus promittit Iuli ?
 679 Aspice quos hominum proceres, quæ lumina rebus
 680 jussit adesse suis, componat publica, per quos
 681 et privata viros quem das ex ordine tanto
 682 immunis, quem laudis agas hinc scilicet omnes
 683 principis est animos et apertos cernere mores,
 684 Hippolyto venator adest, pugnator Achilli,
 685 sectatur Brutos Thræsea, Helvidiusque Catones
 686 compatre quisque suo capitur, gaudebat Homeri.
 687 Magnus Alexander numeris, multumque Maroni
 688 Augustum indulsisse ferunt, quem dixeris illum
 689 doctorum quem turba virum comitatur et ambit,
 690 cui neque vulgari famulatur nomine turba ;
 691 prosequitur magnis omnis quem laudibus ætas
 692 quem pariter puerique colunt juvenesque senesque,
 693 quem populus veneratur, amat sanctusque senatus
 694 cum patruele, Poli curas terræque gerentem,
 695 quem, quoniam meritis non est effingere verbis
 696 inventis cauti liceat signare Timantis
 697 Iphianassææ pingentis sacra Dianæ,
 698 neve acer monitis gravioribus instet Apelles
 699 Protogeni tempus tabulæ subducere dextram.

SYLVA IN LAUDEM ANDREAE DORII ENARRATA.

P_196 v.1 "Alphei celebres cantata ad flumina palmas
 2 non semel Ogygiae vates telluris alumnus"
 3 dixit ; et aurati donatus munere plectri,
 4 restituit veteris patriæ qui jura decoris.
 5 Et sibi qui sectæ tersit mox probra Lacaenæ,
 6 Aonidumque sacris Sappho dignata choreis,
 7 sed laudum quæ summa ? Quibus victoria gestis
 8 dives ad astriferi fastigia surgit Olympi ?
 9 Alipedum, et quales astu non vidit Ulixis
 10 Xanthus equos, celerim stadio flexisse quadrigam.
 11 Incita bissenno metam quæ cingeret orbe.
 12 Optatae demum titulos habitura coronæ,
 13 si bene propositi legem certaminis edat,
 14 en summe virtutis opus, quo non datur ultra
 15 pergere, vix stratis capiant cum moenibus urbes.
 16 O felix mortale genus, molitur equinus
 17 in caelum cui cursus iter, quod sidera supra
 18 extollunt, oleæ frondes et pinea sarta.
 19 Inque deum solio, statuunt gremioque Tonantis.
 20 At non tam fortis sonipes, non pinguis olivi
 21 unguina, non agiles varia ad certamina dextrae,

22 naturae praesentis opes fatique benigni,
23 Pierias movere fides et carmina vatum,
24 perpetuis commissa notis, quam pectoris alti
25 nobilitas, partumque decus studioque manue.
26 Tum major fortuna animus vitaeque perennis
27 splendor, et invicto constans in pectore virtus.
28 Dixeris, unde viros tales ex saecula nobis ?
29 Unde Hieron Cromiusque tibi et cum Psaumide Teron ?
30 Sic mihi Pindarica dignum testudine carmen
31 contingat paribusque modis Heliconam movere,
32 ut Graia potiora lyra numerisque Latinis
33 gesta Ducum procerumque, recens bellique domique
34 non obscura canit vario certamine Fama.
35 Praecipuum tanto tibi quem legis e grege Clio ?
36 Nam cui promeritae referes praeconia laudis ?
37 Communis mercede boni, partaeque salutis
38 homine, qua gelido torpet Germania caelo,
39 usque sub extremas Tyrrheni litoris oras.
40 Cujus enim virtute viri gestisque, furentes
41 Turcarum cecidere animi dextraeque minaces ?
42 Quae terra congressa acies ? Lituque tubaeque
43 Martia collatis cecinerunt classica signis ?
44 Arcanos divum monitus et monstra secutus.
45 Ancipites Danaum proceres qui compulit astu
46 concordiae commune decus defendere dextra
47 barbaraeque angusto Salaminis gurgite fudit
48 agmina, constrata telis et sanguine multo
49 corporibusque virum, lacerisque triremibus unda.
50 His Aristidae titulos his adde duelli
51 nomen, et Aeneadam clara de stirpe nepotum,
52 navali quotquot cinxerunt tempora lauro ;
53 num tamen invenies (aequato examine rerum)
54 quem conferre queat, nedum praeferre vetustas.
55 Scilicet audaces Cilicum magno agmine classes
56 in magni venere manus legesque senatus.
57 Quid ni ? Romani junctis cum viribus orbis
58 ambierint densa puppes indagine Pontum.
59 Arctus ab occasu qua se diffundit in ortus
60 ad Noton et Boream sinuosa per aequora Nereus.
61 Hinc Syrtes Libyamque premens, et proxima Nilo
62 Hispanos Celtasque illinc Ligurumque recessus,
63 Tyrrhenosque sinus quasque alluit Hadria, quasque
64 Ionium Aegeae miscet mare litoris oras,
65 usque sub extremae Cilicum confinia terrae.
66 Victorem victo confer. Cessere potenti
67 imbelles, vel si fortes placet esse, profecto
68 cesserunt pauci Domino terraeque marisque.
69 Et qui paene puer Magni cognomen adeptus,
70 quem sua, quem patriae pariter fortuna fovet,
71 tam bene tam multis belloque togaque peractis.
72 Nec si certantum classes Salamina sub ipsa
73 inspicias, numero superavit Barbarus hostem.
74 Angusto prohibente freto, cumferre vicissim
75 posset opem fesso nullus, sed testis adesset
76 spectatorque mali, quod jam sibi jamque timeret.
77 Eminus umbella pugnam cum mollis ab aura

78 prospiceret, jam tum dignus qui caerulea parva
79 tranaret cymba profugus, licet Aulida ductor
80 vincat Achaemenius, non inferiore paratu
81 quam tota Atridae superarit Achaia puppes.
82 Praestitit id natura loci victoribus, imo
83 consilium, cautaeque vigil sollertia mentis,
84 quaesitusque manu terror nomenque decusque.
85 Nec tamen invidiae quondam vexata furore
86 inclyta gesta latent, calces licet, aetheris alti
87 summa micans tandem superat fastigia virtus.
88 Ut quae pressa diu Siculis fornacibus arsit,
89 aethereas tandem bacchatur flamma sub auras.
90 In praiceps, ut lapsa jugi de vertice summo,
91 objicibus ruptis torrens, furit unda revulsis
92 unde aliquis tanto saltem metus ingruat hosti.
93 Nempe tuis igitur Ligurum, dux inclyte, factum
94 consiliis, opibus, studiis, ductuque, manuque,
95 Barbara Pannoniis cessere quod agmina terris.
96 Tu pelagi servare vices caelique peritus,
97 armatasque fera classes committere pugna,
98 per maris Etrusci fluctus, Siculumque per aequor
99 Icarias emensus aquas, et Cretica longe
100 litora, nec Boreae pennis, nec tardior Euri
101 insequeris toto fugientes aequore Turcas,
102 Ionios aestus inter Maleaeque sequacis,
103 usque sub Aegaei scopulos et saxa profundi
104 inde fugae nullus cum jam modus esset, et anni
105 tempora, resque magis terras tentare monerent,
106 finitimos portus vicinaque litora, et urbes
107 Naupactum et parili vi subdis et arte Coronem.
108 Praesidiisque loco positis victoria constat.
109 Qua platani folio similis diffusa per undas
110 insula, Tantaleae sortitur nomina prolis.
111 Magnum et perpetua dignum per saecula fama,
112 tam celebres tanto magni, e corpore Regni,
113 invasisse urbes facinus, sed capta tueri
114 oppida, et acclausos pariter terraque marique.
115 Per medios hostes, per tela inimica, per ignes
116 invenisse viam ferro, largeque tulisse
117 annonam, arma, viros, et quicquid poscere usus
118 obsessaeque animos et vires adderet urbi,
119 quam prope mortali captu majora, deumque
120 proxima consiliis prudentem hic Nestora ponas.
121 Tydidæ hic invictum animum Martique timendum,
122 hic vafri caput et facundi pectus Ulixis,
123 vix tamen ii faciant omnes, quae fecerit unus.
124 Aut (quod Achemenidum potius certamina regum
125 haec referunt) confisus opum cum mole suarum
126 victorem Xerxes vix dum praecinctus agebat,
127 abstulit et numero mensura superbior ipsi
128 debita, cum flagris caedi, cum compede jussus
129 vinciri, pontem quod fregerat et non Sigeus.
130 (Qua brevis Europen Asia disternat Helle)
131 Spartanos pone ergo duces, commentaque cauti
132 tuta Themistoclis, patria qui sede relicta,
133 suasit Erechthidis seque et sua credere Ponto,

134 quod si nostrorum series operosa laborum
135 et Graios quondam populis gentemque togatam,
136 nos quoque Barbaricis amat exercere procellis,
137 ex alioque frequens alio jactare periclo,
138 quid mihi Cecropiis concessum demit Athenis
139 spes animi ? Quid me Libycis opponere turmis
140 Scipiadas, Fabiosque vetat, quid Persida contra,
141 Spartanosque duces clarosque Themistoclis astus.
142 Praecipue cum jam celebres discrimine certo
143 obtulerit res ipsa viros terraque marique
144 namque quid (ut titulos aliis unius omissis
145 prosequar) antiquae quisquam desideret artis ?
146 Fortunae quas optet opes ? Quos in duce summo
147 corporis egregii vires, molemque, decusque ?
148 Quae tibi non multos olim praestaverit annos
149 Dorius Andreas, praestetque senilibus annis,
150 membrorum ingenti pariter sensumque vigore,
151 quam prope mortali majora cupidinis haustu.
152 Quae prima, aut quae summa sequar ? Quo ve ordine ducar ?
153 Ultima prima mihi sint prima novissima prorsus
154 Atridae magni quod concessere poetae
155 digna viri imperio facies, sceptrisque superbis
156 consors ipsa sibi, majestatisque verendae
157 et vultu et cana promissa in pectora barba.
158 Et quamvis longo veterum splendore parentum
159 fulgeat, et proavos majorum ostendet avorum
160 stemma domus, quacumque vago furit impete Nereus
161 imperiis opibusque potens et classibus olim
162 Hispanumque ducem Siculis immiserit oris.
163 Tu tamen antiquae laudes et nomina gentis
164 magnorumque decus superas et gesta parentum,
165 ut stellas Phoebe, Phoebem Titania lampas,
166 ut patris Oceani fluviales alveus undas.
167 Nixus mole tua et rerum splendore tuarum
168 venturis lucem populis titulosque daturus,
169 quippe peragratis quae gesseris, et quibus ardens
170 incumbas, quibus officiis fungaris, ut aequae
171 ostendas tanto dignum te cardine, teque
172 undique decerptis virtutum floribus ornes
173 quo steterint humana loco, quid sidera monstrent,
174 moliri majora Deum sperare necesse est.
175 Et quam visa, magis concepta in pectora. Nam cur
176 ut magno constat Latio Celtisque periclo
177 quo tu cumque tuae flectis molimina classis
178 insequitur laeto facilis victoria cursu ?
179 Te Libyae Maurusque timent, Nilusque Pharosque
180 et qui terrarum summas jam torquet habenas
181 Turcarum dominus, major licet agmine classis ?
182 Nam tibi nec nomen (quamquam fortassis et illud
183 est aliquid quod fortis habes animique virilis)
184 cognomenve domus Nerinae a Doride ductum,
185 imperium tribuere maris sceptrumque profundi,
186 nec quod usus Mariae felix ducare Perettae
187 conjugium et rarum columen virtutis adeptus
188 cujus ut illustri morum certamine laudes
189 fortunae generisque dedit per saecula famae

190 altius assurgens fidibus Thymbraeus Etruscis.
 191 Sic olim, dum fata sinant, sublimis in altum
 192 tolletur Graiae numeris Latiaeque Camenae
 193 cum consorte tori quem nec Rhamnuntis alumnae
 194 dextra, nec arcani vis insuperabilis astri
 195 nec regum studiumque ducum nec Caesaris aura
 196 jam celebri statuere loco, quam vivida virtus
 197 justitiae rectique tenax et nescia falli,
 198 fortis in adversis et non effrena secundis,
 199 docta modum finesque suos imponere rebus,
 200 officiis cumulare bonos, obstare superbis.
 201 Quin immo omnipotens cunctarum ante omnia rerum
 202 quas oculis, quas mente capis Rectorque Paterque
 203 et qui cuncta movens quos vult effingit in usus
 204 arbitrio producta suo, non indiga nostri
 205 majestas aeterna dei sibi conscia soli.
 206 Quem tellus pontusque tremunt cui sidera parent
 207 hic te propositi laxare repagula cursus
 208 edocuit, medioque dedit certamine vires,
 209 Hic dabit extremae fines circumdare metae
 210 hic tibi victricis praecinget tempora lauro,
 211 ut properet, mihi lenta dies, miserere laborum
 212 Hesperiae miserere tuae. Et si pectore nondum
 213 excidimus, Rex summe, tuo, da ducere nostris,
 214 da ducibus celebres Turcarum ex hoste triumphos ;
 215 o quid tunc animi, quae mens erit ut mea laeto
 216 nescio quo saliunt intus praecordia motu
 217 oblitusque meae videor caliginis, o si
 218 nuntius ille mihi, si venerit o ego quales
 219 conceptus quantas effundam ad sidera voces
 220 quos numeros mihi, Phoebe, dabis, quae carmina Musae ?
 221 Solvemusque vota quibus tibi Rector Olympi
 222 suppliciiis, qua mente tuas sistemur ad aras ?
 223 Post tua quae <...> mihi referent praeconia Reges ? (vers lacuneux)
 224 Quas tibi, summe Ligur, clara cum conjuge laudes ?
 225 Interea haec quaecumque animi cape pignora nostri
 226 acturi tecum majoribus. Omine dextro
 227 exoriens si quis dederit deus otia, si quae
 228 non ingrata meae fuerint tibi dona Thaliae
 229 Andream ut prima cient extrema sonabunt,
 230 quo mihi laetari liceat cognomine vinclo
 231 quem natura gravia, vel sors conjunxit amoris
 232 Andreas, Phoebusque parens doctaeque Sorores
 233 Andream triplicis recinet facundia linguae.

AD ILLUSTRISSIMUM COSMUM MEDICEM DUCEM FLORENTIAE SECUNDUM.
 ANDREAE DACTII, SYLVA. CUI TITULUS 'ANABIOSIS'.

P_197 v.1 Provida magnanimi clementia principis, ex quo
 2 instituenda dedit studiosae pectora pubis
 3 maternis Latiisque simul Graiisque Camenis
 4 non concessurum laudatis munus Athenis
 5 altius et Glaucae si quis sapit arte Minervae
 6 crediderim non absque Deo et majoribus actum
 7 auspiciis. Fretus superis opibusque potentis

8 consilioque ducis et quos dedit inclita virtus
9 consortes tantorum operum et sacraria magni
10 fida ministerii. Nec me pugnantia contra
11 lurida tabifici terrent contagia Momi
12 quicquid et inferni molitur dextra tyranni,
13 quid tibi quid spondes mortali semine natus
14 invidiae majora gravi fastigia morsu
15 vix superis sperare datum ? Sublimia Livor
16 quaeque petit magnisque furit contrarius ausis
17 segnior extremae tentare piacula sortis
18 perdita ni tristes agitent sic pectora dirae.
19 Ut laeto Thamyrae vultu rumpantur et Iri
20 infelix indigna viro miserandaque labes
21 et qua nil gravius quamvis ferus expetat hostis.
22 Quis neget uberibus exundans fluctibus amnis
23 ter gemino de fonte caput venaeque perennis
24 ignotum per iter multis magnisque receptis
25 undique fluminibus ingenti protinus alveo
26 vasta reluctantis rupturum caerulea Ponti
27 atque aliam ex alia vecturum merce carinas,
28 quamlibet adverso concurrant agmine venti
29 interdum, atque aestu fulvae turbentur arenae ;
30 haec tibi degeneres animos discrimina frangunt
31 plurima terrestres hebetant quos pondera molis,
32 at quibus aetherii vis mentibus insidet ignis
33 caelestisque vigor sincerus originis illas
34 non adversa premunt rerum, non prospera tollunt,
35 intrepidat fines intra spatiumque decori,
36 turris ut ingentis suffulta cacumine saxi
37 ingenio secura loci manuumque labore,
38 non aestus frigusve timet non flabra nec imbres
39 quippe recensenti veterum monumenta virorum
40 Belidae commissa notis summoque parenti
41 naturae impositas leges legumque ministros.
42 Occurrunt res et causae caelique meatus
43 ventorum pelagique vices quo foedere jussa
44 sidereis elementa globis subduntur, et undae
45 ima catenati coeant, supremaque mundi
46 aetheriae mentes et opacae pondera molis
47 nec minus interea populorum gesta ducumque
48 accedunt soccique leves tristisque cothurni
49 Melpomenes, regumque minae gladiique dolique
50 Aeolidum, Pelopisque domus Thracumque Phrygumque
51 et quisquis tragici peperit certaminis hircum
52 instabiles hominum lusus pompaeque theatri,
53 hac velut aestivae matura caloribus aurae
54 protinus Autumnus casura volumine poma
55 aut subito tumidae surgentes flumine bullae
56 molle quid Assyriae censes diadema tiarae ;
57 vix partum per lustra decem, et ter dena peractum
58 saecula, cornicis longo prolixius aevo. Et
59 Sardanapalleo tandem memorabile casu
60 quam facile indulset sceptrum Rhamnusia Medo
61 ignavum pertaesa virum, moresque sinistros ;
62 tam facile Astyagi versa mox abstulit aura,
63 sed neque per longo Macedum certamine ductor

64 stravit Achaemenidas Indis totoque potitus
65 Persarum regno, nil non feliciter ausus
66 et mox civilis periturus fraude veneni.
67 Ambitus hinc letale malum procerumque ducumque
68 nec minus incertis levis inconstantia vulgi
69 prodita discordis lacerarunt viscera regni.
70 Dum nimium sibi quisque placet dum cetera damnat
71 et studiis se quisque suis ardentius effert,
72 ambitione furens et habendi perditus oestro,
73 oblitusque hominis, quod erat jam desinit esse.
74 Qualiter Aeaeae sortitus pocula Circes
75 haec ubi Cecropidas olim Spartaequae colonos
76 invasit miseranda lues post Barbara regum
77 proelia et exactum miserando funere Xerxem,
78 omnis ut Alectus Hellas stimulata cerastes
79 in gladios flammisque ruit gavisia cruentas
80 commaculare manus cognati sanguinis haustu
81 et lacerare feri quibus ira pepercerat hostis,
82 donec consumptis per mutua vulnera Martis
83 viribus obscura Macedum de gente Philippus
84 integer attrita domuit virtute jacentes.
85 O curas, o vota hominum proh caeca futuri
86 pectora tu summos Graium praedatus honores
87 connubiis operare novis, et Martia tela
88 in Persas Medosque paras, tibi conjugis ira
89 Pausaniaequae dolor funus molitur ; et ille
90 non bene vitatae fatalis mucro quadrigae,
91 et decessurus dubiis haeredibus ingens
92 aemulus Ogygii vario certamine Bacchi,
93 cui nihil Orbis erat et vasti machina Mundi,
94 ut sibi concepti provincia vix quota Regni,
95 sed quacumque viro tandem regione potiri
96 contigit, in proceres cessit divisa potentes
97 Antiochos, Crateros, Perdiccas et Ptolemaeos,
98 qui veluti tacito coeuntes foedere sensim
99 consumpto divumque metu fideique pudore,
100 publica privatis invertunt jura rapinis.
101 Sed pereunt male parta, brevi concurritur armis
102 alternisque vagus variante Cupidinis aestu
103 Mars furit inque vicem victos victoribus aequat.
104 Credideristellure Jovem poscente levare
105 mole hominum rursus Thebis regnare cruentos
106 Oedipodas Momoque Helenam suadente reposci
107 barbaricos sterni Graios Italosve furore.
108 Nam de Romanis non est leve dicere rebus :
109 nil non praecipuum, nil non memorabile quondam
110 Roma tulit. Quibus orta modis ? Quibus aucta ? Potentis
111 protulit imperii fines respublica quales
112 quotque dedit fecunda viros : studiosius omnes
113 Europes Libyaequae urbes Asiamque pererrat
114 praeceptor, Trajane, tuus tum denique late
115 orbe pererrato totus non sufficit ima
116 suppeditat quot Roma viros peregreque domique
117 insignes terra atque mari belloque togaque.
118 Haec post exactos medio prope tempore reges
119 contigit Attallicis Asiam rationibus haeres ;

120 mox Macedum sensim regni decus obruit armis
 121 serius et septem rerum post saecula princeps,
 122 hoc mansura diu quo lentius aucta supremum est
 123 imperii sortita decus nomenque per omnes
 124 tempus ad hoc gentes cunctis venerabile terris.
 125 Scilicet has leges aeterno foedere rebus
 126 imposuit natura parens nascentia ferri
 127 diversis diversa modis cadere orta, senectae
 128 nexibus aucta premi atque in se sua quaeque reverti,
 129 alta petens lento sublimis stipite pinus,
 130 quercus amica Jovi, Silvano sacra cupressus,
 131 aesculus et varios abies subitura labores,
 132 quaeque aliae tardo tollunt fastigia nixu
 133 nullo aestus hiemisque metu Boreaeve Notive
 134 damna morae longa senii statione reponunt ;
 135 at teres et curvo ventosa cucurbita dorso
 136 capreolis nitens et flexi palmite caulis
 137 arboris amplexae ramos et brachia cursim
 138 implicat hac celeri per summa cacumina lapsu
 139 exit et immissis diverberat astra flagellis
 140 protinus autumnus primos casura sub imbres,
 141 quin et quadrupedum et volucrium generisque natantum
 142 arborei fetus fruticumque et graminis herbae
 143 appropinquata cito, tarde sero aucta senescunt.
 144 Haud igitur nostrae miseranda negotia vitae
 145 dissimili ratione fluunt et si qua potestas
 146 concessa est vesana tuo fortuna furori.
 147 Parcius humani turbare volumina viris
 148 hac in parte datum cursumque invertere rerum
 149 Assyrii Medo quartam pertingere regni
 150 non licuit nec Persa tibi Macedumque tyrannis
 151 Caesareum stat nomen adhuc nunc tempore quondam
 152 finibus et validis longe praestantius armis
 153 forsitan et in veteris rediturum laudis honorem
 154 praepediant ni fata viam frustra locuti
 155 irrita fatidici cecinere oracula vates ;
 156 et jam prima novi dejecta repagula cursus
 157 monstravere viam, sed quod delere negatum
 158 transtulit in Celtas olim Germanaque castra
 159 Hesperiasque plagas extremaque gentis Iberos
 160 angustum dea caeca jubar fascesque superbos,
 161 ne foret ad summum cuiquam decus invius orbis
 162 et prope par superis hominum genus omne potestas
 163 ad virtutis opes laudumque accenderet ignes,
 164 quodque bonum felixque usquam fert terra, pateret
 165 nec minus humanae retegens ludibria vitae
 166 et faciles summo rerum de culmine lapsus,
 167 sanguinis haec eadem Cyri caput intulit utri
 168 Cambysisque femur ferro transegit acuto,
 169 in tenebrisque magos Persa feriente cecidit,
 170 gutturaque optato Crassi nimis imbuit auro,
 171 hinc bonus insidiis Palamedes caesus Ulixis
 172 et meritis Ajax armis spoliatus Achillis ;
 173 hinc Cimon itidemque Themistoclis incluta virtus,
 174 hinc et Aristides laudis nullius egenus
 175 exsulat ingratis nequicquam justus Athenis,

176 nam cui Socraticae debentur fata cicutae.
177 Et Titus orbis amor cognata fraude peremptus
178 Scipiadumque domus Libycae post funera cladis
179 devictasque urbes Asiae regemque superbum
180 exsilia et caedes et inultae civibus umbrae,
181 et quibus indulsit lacrimas et munera praedo
182 non secus ac magni veneratus numinis aras.
183 Jam neque concedunt exempla recentia priscis
184 jurata testanda fide, nec tempus ab auro
185 ad ferrum deducere opus, patrumve sub annos
186 quae nostrae fecere manus, quae vidimus et quae
187 pertulimus per lustra decem, sed plura referre
188 Musa negat frenisque vagos stimulisque jugales
189 coge sub extremae cingenda volumina metae.
190 Quicquid id est igitur placuit quid nomine dici
191 fortunae, sive est usquam, seu fingimus ultro
192 naturae plerumque suas opponere vires
193 gaudet et ingenti contra certamine niti
194 ac quacumque potest inopino cuncta tumultu
195 miscere et seriem temere pervertere rerum
196 qualiter horrenti Boreas a cardine Mundi
197 ruris opes prosternere amat Zephyrique tepentes
198 flamine concreta campos foedare pruina ;
199 cum tamen inter se concordia pace feruntur
200 inque vicem placide nexu junguntur amico,
201 tunc omnes implent numeros certantque vicissim
202 accumulare novis ingentia munera donis
203 roboris, artis, opum, generis, virtutis, honorum,
204 aut, si declinet obliquae examina lancis,
205 omnia diverso contraria limite ponas.
206 Atque ut ad incepti referar primordia cursus,
207 inclyta doctorum relegens monumenta virorum.
208 Multa reluctantis videas certamina sortis,
209 pauca simul laeti coeuntia foedere socci.
210 Sed tamen hac stabili cernas quasi lege teneri
211 ocius et valido nimium crescentia pingui
212 fertiliusque solo properata arere senecta.
213 at mdico sensim, quae stipite provenit arbos
214 et quasi nodosa cursum prohibente podagra,
215 altius haeret humi longum mansura per aevum,
216 has elementa vices et ab his generata sequuntur
217 et Latonigenae subeunt quae cornua Lunae
218 gens hominum ante alios flocci, nam cetera pendas
219 et quae nam ratio ratione carentis habenda ;
220 ergo agite o quisquis nostra exercere palestra
221 et mecum geminae laetaris agone Minervae
222 vel modo materni flavescis pulvere campi,
223 huc aciem mentisque oculos advertite vestrae
224 si quando dignum titulis et laude parentum
225 pectore concipitis robur verique decoris
226 fervet inexstinctus circum praecordia fomes
227 aut, si forte vigor caelestis originis atra
228 nube latet caecaque jacet caligine pressus
229 quod (procul avertant Superi) nudisque tremendum
230 verbere dura truci scapulis incumbit anance
231 corporis atque animi cunctas intendite vires

232 quasque serena comas occasio porrigit ultro
 233 corripite, et velis remisque impellite puppim.
 234 Jam prope tranquilli portus secura juvenus
 235 post tot Olympiadas, post tot discrimina tandem
 236 venit ad insuetas optatae nuntius aures
 237 pacis, io superis propriam concedite, quaeso,
 238 et juvet exactae meminisse pericula vitae.
 239 Dulcis ut haustus aquae longo sitientibus aestu
 240 ut diuturna fames epulas commendat agrestes,
 241 mitis adest posita Tritonia Gorgone Pallas,
 242 cincta comas oleae foliis et fronde nitentes,
 243 proque sagittifera gaudet tractare pharetra
 244 barbiton Aonio residens in vertice Phoebus
 245 Thespiadumque choros inter Nymphasque sorores
 246 dulcia Cirrhaeae celebrare umbracula rupis
 247 haec tibi cum multis communia. Respice vero
 248 privatae miranda tuae praesagia laudis,
 249 quod Romae vix Marte dedit precibusque coactus
 250 sponte sua liber tibi caelitus obtulit orbis.
 251 O nimium dilecta deum Florentia regi !
 252 Tum modo clara fove Patriae commercia linguae
 253 quae reges populique petunt discutque coluntque ;
 254 ista dabunt celebres quicquid docuistis Athenae
 255 quaeque latent sophiae studiosis edita chartis.
 256 Post modo vel pueris facili capiunda labore
 257 haec urbi non parva olim portendere sanus
 258 quis neget ? Invitant superi et mortalis egestas
 259 et cui desse nefas pietas et cura nepotum :
 260 aequa volutantem nil desperare quod ausis.
 261 Spe tandem majora tuae circumspice causae,
 262 cum ferus horrificis fremeret Mars undique turmis
 263 largus opes studiis indulset et otia Cosmas.
 264 Quid faciet placide fruimur cum munere pacis
 265 pervigil excubiis instat noctesque diesque,
 266 cura viri fluat ingenti licet impete praeceps
 267 transadigat montes sectam Babylona peragret
 268 Euphrates siccis tandem periturus arenis.
 269 Dum meus exiguis erumpens fontibus amnis
 270 verberet aequoreos septena per ostia fluctus
 271 tuque audita memor referens praeconia clames
 272 nil non sperandum Cosma duce et auspice Cosma,
 273 cum consorte tori votis majora daturō.

SATYRA. QUAE ET VERNA PROPECTIO.

P_198 v.1 Ardua Faesuleae menso fastigia molis.
 2 Ad Boream modico se vertice Regius offert
 3 mons scatebris praedives aquae venaque perenni,
 4 tergemino quae fonte cadit, strepituque canoro
 5 grata viatorem liquidas invitat ad undas.
 6 Huc ego quindenī tandem sub sidere veris
 7 pertaesus curasque graves urbemque domumque
 8 meque ipsum dum forte vehor comitante ministro
 9 a pedibus vix prima domus vestigia portis
 10 extuleram fremitus et vox ferit eminus aures :

11 " _ Quo properas ? Heus, Aule, mane, subsistimus, ecce
12 improvisus adest, quo non mihi junctior alter
13 Fulvius Hesperiiis nuper regressus ab oris.
14 _ Quod te consilium, quis te Deus huc agit ? inquam.
15 _ Fors, ait, et dubiae gravis inconstantia mentis
16 ire libet quocumque trahit Fortuna parato.
17 Quam bene quam pulchre nos inter convenit, ergo
18 pergimus et vario rerum sermone vicissim
19 nunc ludicra vagi serimus, nunc seria sensim
20 nostra peregrinis antiqua recentibus orsi,
21 conferre et multa multorum laude merenti
22 jus dare cuique suum, justaque expendere lance
23 Martis et indomitae studia ingeminata Minervae,
24 tam magno pulchrique alto certaminis aestu
25 ut prope sopitis nimia dulcedine palmae,
26 sensibus una sibi totum dum vendicat auris,
27 jus animae arbitrio temere veheremur equorum.
28 Trans mihi principio conceptae praedia villae
29 cum famulo simul immemores nostrique viaeque
30 ad passus prope mille, levis spatiantibus error
31 parvaeque nec multo jactura abolenda labore
32 obversis igitur proris ventisque vocatis
33 vela damus trifidae repetentes murmura lymphae,
34 illa equidem sitiante meo sociique caballo
35 et famulo poscente libens avidusque reviso,
36 nam liquido currentis aquae strepituque cadentis
37 egregiae ante alios oculos oblector et aures.
38 Praecipue cum vere novo jam gramina surgunt.
39 Candidus et Tyrii sol appetit astra juvenci.
40 Tunc anni quod tempus erat ; jamque hora premebat
41 nona diem ventoque carens et nubibus Aethon
42 arida clivosi siccabat praedia ruris,
43 cum bene curatis vectoribus altera mentem
44 cura subit, qua parte cibum, qua sede petamus.
45 Nullus erat mihi notus ibi, et si forte fuisset
46 clausa repellebant adeuntes hostia ventres.
47 Poscere ruricolae aliquid nece durius omni
48 esse videbatur famulo, quique noverat horum
49 perfidiam mentesque truces odiique venenum,
50 in cunctos nostro prasertim tempore cives.
51 Consultitur quae stet sententia castra movere
52 cuncta jubent propere tolli vexilla jubentur,
53 fortunamque sequi, mutatis sedibus olim
54 accessisse viris longe majora relictis.
55 Pulsa Tyro magnae Dido Carthaginis arces
56 condidit, et Libyae late regnavit in arvis.
57 Antenor Patavi sceptris solioque potitus
58 nec minus Aeneas Latio majoribus usus
59 intulit auspiciis Vestam victosque Penates
60 unde genus dominae traxere palatia Romae
61 surgit ad haec ut saepe solet solamen in artis
62 relligio, quae sero jubet jejunia solvi,
63 nec nisi vicina medii jam parte diei
64 fas cuiquam positis epulas attingere mensis,
65 linquimus irriguos fontes et amoena fluentia ;
66 ventum erat ad trivium consistitur agmine toto.

67 Nunc mihi, Pierides, faveatis et augur Apollo
68 concordēs servate pios, procul omnis abesto
69 seditio Mavorsque furens et tristis Enyo,
70 unanimes hic ante viros sententia discors
71 in diversa trahit, poscor qua vertere gressum
72 semita commodior laudo compendia dextrae.
73 At socius multo potior mihi laeva videtur,
74 qui refero longe primum prolixior, et quae
75 aspera clivosis habitetur rarius agris
76 quo nihil ad nostri confert minus agminis usum
77 non unum, a dextra hospitium si forte necesse
78 occursumque hominum invenias villasque frequentes.
79 Ille loco propria sua mea praedia multo
80 oblitus, nugare puer petulantius inquit :
81 "Qui mea me doceas, ubi sis quicumque loquaris
82 te fugit Andabatae ritu certare parati,
83 nunc tecum fueris, quamvis oculatior Argo,
84 Lynceus indigne patriam novus indicat hospes ;
85 excidit invito risus, vox excidit, ergo
86 pes capiti manibus vicinior auribus unguis,
87 te lapsis decimus removet, me quartus ut olim
88 visa diu memori merito sub pectore servem."
89 Erubuit tetigitque homini pudor altius aegrum
90 bile jecur, quod vox, quod vultus prodidit : "Ergo
91 ibitis ad dextram, dixit, nos laeva petemus.
92 Hic famulus dure factis quos nulla Falisci
93 cura movet, ratione mihi defendere partes
94 ne prohibete meas et tramitis hujus amicae.
95 Ante oculos sese medium qui tertius offert
96 hunc alacres animis paribus votisque sequamur,
97 hic nos Faesuleas recta deducet ad arces.
98 Aut (si non homini cuiquam concedere certum est)
99 quid vetat hanc dominae litem committere sorti."
100 Mitibus haec referens verbis vultuque sereno
101 correptas utriusque manu tractabat habenas,
102 seu propior melius quo vox penetraret in aures,
103 sive renitentis cursum pressurus amice,
104 ex usu quod forte fuit, nam sidere laevo
105 fulvius ille ut erat justo turbatior alvum
106 insontis ferit asper equi, discedere certus,
107 taurus ut instantis furiis agitato asyli
108 et lentos laevum frenos detorquet in orbem
109 prosiluit sonipes, spatiumque inclusus iniquo
110 declivi inter saxa solo male credita fulvae
111 anteriora pedum vestigia firmat arenae.
112 Quod nisi praecipiti laxas pressisset habenas
113 ore manuque puer, et toto corpore nixus
114 et nisi opem non absque Deo mea cura tulisset
115 fusus humi cecidisset eques, nam fracta superne
116 cingula consutae qua fibula nectitur orae.
117 Ecce autem viridisque senex natusque repente
118 improvisi adsunt nam qua consistere jussit,
119 et fors et ratio subiti properanda pericli
120 dimidii ad spatium prope jugeris aequa parumper
121 subsidebat humus parvo mox edita clivo
122 rursus in obliquum declivius ima petebat

123 quae natura loci, nec non et cura sodalis
124 intentos aliis animos oculosque fefellit.
125 Hic ubi me senior propius conspexit acute
126 intuitus propere accurrit capitisque remoto
127 tegmine, comprehensae trepidus dedit oscula dextrae
128 atque ait : "O salve generosi clara propago
129 sanguinis et gentis nostrae columenque decusque,
130 quis Deus huc hodie, quis te appulit alite dextro,
131 ut prae laetitia vix sum bene sanus apud me ;
132 da veniam cupido mecum prandebitis ambo,
133 ni piget hospitii tenuis veterisque clientis,
134 tardior hora monet nostrae gurgustia villae,
135 haud procul exacto, quae jam possedimus anno."
136 Sic ait, et propere juvenem praecurrere jussit,
137 quem locus et cultus dubium quem fecerat aetas
138 agnovi de voce senem, fidumque clientem
139 semper, et hoc ipso opportunum tempora, multa
140 praeterea inter nos ultro citroque relata,
141 dissita dum ligulae junguntur ephippia nodis.
142 Sic tamen ut suto fugias te credere loro
143 ergo quod aequa brevis, facilis via, suadet et umbra
144 mollius hinc illinc interpollata frequenti
145 composito pedibus sensim procedere visum est
146 progredimur, facilemque viae fallente laborem
147 alterno sermone lares intramus amicos.
148 Hic primum jussi curamus corpus et ipsum
149 spectamus, positumque loci vicinaque rura,
150 altius admoti speculae dum sedulus hospes
151 interius cum stirpe dapes et fercula curat.
152 Paene quadrata domus tabulatis acta duobus
153 qua Borean Eurumque procul qua respicit Austros ;
154 altius exstantis jungit latera ardua turris
155 cujus summa colunt Paphiae de more columbae
156 cuncta domus viridi circumdata gramine prati,
157 praeter eam solem spectat qua parte cadentem,
158 cui pro vestibulo tecti superimminet umbra
159 janua lata satis, sed non ut longa requiras
160 atria et hippodromum thermas specularia, quando
161 nulla peristylia facies nec certa (cavati)
162 forma, cohors seu xystus erat, sive ortus ad Austrum
163 consitus Hesperidum malis Paestique rosetis,
164 roribus et violis et gramine vernat olenti,
165 rustica Phoebeos ubi porticus imbibit ortus,
166 nam buxi longe officies topiaria longe
167 prela tamen satis acta locis, oleaeque trapetum
168 occurunt, puteusque brevis venaque perenni,
169 sub terrisque frequens vinaria cella diotis,
170 cumque penu calidae statio opportuna culinae,
171 at stabulum post cortis aves, longeque recedit
172 adveniens, quo jussus equos curare Faliscus,
173 cum puero fenum et duplici tulit ordea vallo.
174 Haec inter fructis epulis bonus advocat hospes,
175 jam stomacho poscente cibum, calcarque volanti
176 subdit equo sequimur, cenatio suscipit illa
177 non indigna domo, spatii cultusque tenore,
178 non hic infusas manibus puer excipit undas,

179 malluvio spinae subducta cuspide siphon
180 perpetuo vivo latices de fonte ministrat.
181 Forsitan et dapium fuerint quae fata requiras,
182 quae facies ambo, postquam consedimus hospes,
183 quem prandere simul pietas res moxque jubebat
184 abnegat et tanto se dedignatur honore,
185 nos contra obnixi contendimus, ille pudore
186 quo magis instamus misere magis usque recusat.
187 Mox tamen urbanis Fulvi sermonibus actus
188 dat victas cum voce manus, supplexque fatetur
189 secum pransuros, quos invitaverat una,
190 prandendum esse sibi credo divinitus actum,
191 ut qui dissidii causas conseverat, idem
192 solveret indignae commissa piacula noxae,
193 dulcia tranquillae revocans commercia pacis.
194 Haec tibi discubitus fuerint praeludia nostri,
195 non tamen exodii ludos nec dramatis omnes
196 polliceare, tibi supremum ad plaudite partes.
197 Plura viri fortuna loci natura docere
198 quemque potest, et si sineret Germania tempus
199 nescio qui sensim tam multis obvia monstris,
200 quot veterum mentes caligavere tenebris.
201 Nam quorsum longis ambagibus ordine dicam
202 furcillas, cultros, tripodes, mantelia, mappas,
203 quaeve abacus, quot nam, vel de quo vasa metallo,
204 non hic stellato radiat carbunculus auro,
205 non locus argento est, stanni vitrique supellex,
206 candida florigerae dirimit confinia mensae,
207 aureus in phialis vini color, ostreus ardet
208 in calatis ficus fractoque putamine juglans
209 nuda jacens pariterque hesternae conscia lucis,
210 munda Ceres cupidi pepulere repagula ventris,
211 nec minus ex acri meditullia mollis aceto
212 lactucae, et teneri mentae cum cappare caules,
213 et quas irriguis herbas alit hortulus undis,
214 et salis et glaucae nitentes rore Minervae.
215 Quin et ceparum teneri sine cortice bulbi.
216 Terrigenam denso cingebat stipite lancem,
217 mox apio et tritis concocta cicercula porris
218 fictilibus mensas onerat, thunnique resectum
219 pinguis aromatibus rutilat latus, humet aceto
220 praeterea sale duratos ad pabula fungos,
221 quos multa purgarat aqua tenuique farina
222 contigerat, stridente oleo sartagine tostos
223 sedula ponit anus, nata comitante simulque
224 tres patinas gestante breves albumque liquamen
225 quod bene contusis nucibus panisque medulla
226 cum sale. Et ex uvae succo conflarat acerbo,
227 quo prius effracti nucleum madefecerat alli
228 torpentis fomenta gulae stimulumque palati.
229 Dicat ad haec aliquis : "Quid nam ? Tuus ergo Filiscus
230 stertebatne cubans nobis prudentibus, ille
231 pro Ganymede fuit Bacchi Cererisque minister
232 praesto ubicumque foret, quocumque exposceret usus."
233 Ecce autem aeripedum post curam missus equorum
234 junior hospes adest dictaque salute parenti

235 "Ad votum succedit, ait, res omnis et ultra
 236 spem, longe expiscatus eo genus omne natantum
 237 membrana squamave aut crustae munimine tectum.
 238 Quodque fide majus ducas, numeroque modoque
 239 in caput exossi crescentes corpore pisces
 240 vicinae torrentis aquae Minionis alumnos
 241 diis grates, etenim quem te mandante petebam
 242 jam mediam superante via venit obvius Olpis
 243 et procul accipe, ait, quod me petis haec habet urnae
 244 parce loqui, accelera novi omnia doctus ad unguem.
 245 Quid cessas abeo laetus matrique parandas
 246 trado epulas, vos si qua fides properata furenti
 247 ne date vela Noto, Zephyri securius aurae
 248 credite, vel lento subituri remige portum."
 249 Haec puer aetatem supra sortemque locutus
 250 pro meritis laudatus abit, quo deinde ministro
 251 nequicquam Samii faba jussis eruta ventris
 252 ignis, aquae, saxi, bis, ter male torta flagellis
 253 ferventesque olei frixique uredine porri
 254 ponitur, extremae vacuo pro margine mensae.
 255 Pelamidumque breves evulsis ossibus artus
 256 pigmentis succoque acres mordacis aceti,
 257 nam stridente recens cocti sartagine pisces
 258 anguillae et teneri Lunae munuscula cancri
 259 Pythagorae praecepta senis servare jubebant,
 260 utque satur visis decoctos ignis omittam
 261 asparagos multoque blitum sartagine aestu ;
 262 non hic Hesperidum sibi quis promiserit horti
 263 aurea pervigili quondam servata Draconi
 264 Hippomeni quae mala Venus donavit amanti
 265 Maenaliae celerem cursum vinctura puellae
 266 aut Corycei pomaria mira tyranni,
 267 sed pro sorte loci non aspernanda palato,
 268 non oculis decerpta recens ex arbore jures
 269 autumnii, summo vernantia robore poma,
 270 nec cucumis duro parilique cucurbita libro,
 271 Hyblaeis saturata favis citrique putamen
 272 deserve dapes ; nucleoque et cortice juglans
 273 mollior, et primae nux pinea, nescia pubis,
 274 ultima conspicuae clausit bellaria mensae
 275 feniculi cum fasce brevi nux plurima putri
 276 pro sale sacchareae circumlita pulveris haustu.
 277 Verba dapes inter mensisque alterna remotis
 278 Musa referre negat : longum pertaesa labarem.
 279 Nam tribus exactis cursus jam partibus Aethon
 280 pronior Hesperii properabat ad aequora Ponti
 281 utque sit incerti nonnunquam tempore veris
 282 obduxere diem subita caligine nubes
 283 et stratis Faliscus equis properare jubebat,
 284 non obscura timens pluvii praesagia nimbi.
 285 Undique tam validis et tot coeuntibus ergo
 286 digredimur, Zephyrique Notum superantibus alis
 287 exorti solisque via pluviaeque potimur,
 288 et tectis laeti tandem succedimus urbis
 289 unanimes, pariter dictis factisque sodales,
 290 copula amicorum titulos auctura quadrigae,

291 Aegida cum glauca Pallas mutabit oliva,
 292 et citharam posito contendet Delius arcu,
 293 cumque sorore pudor laceri miserebitur orbis.
 294 Quae pietas, quae summa tibi clementia rerum
 295 ocius, omnipotens opifex, res aspice nostras
 296 ne tamen immodica placidi dulcedine cursus
 297 garrula verbosa subeas contagia linguae
 298 grande sed invalidae vitium commune senectae
 299 pone modum stimulis et pressos contrahe frenos.

AELUROMYOMACHIE LIBELLUS PRIMUS.

P_199A v.1 Horrificas acies et decertata nefandis
 2 bella odiis, varioque diu certamine, Murum
 3 fortunam ancipitem, raptosque ex hoste triumphos
 4 Cattorum, et sparsos regali sanguine muros,
 5 Diva, refer, si Pierio praeludia fonti
 6 haec paro, legitimis (praestent modo dulcia Divi
 7 otia) temporibus majori fluminis haustu
 8 aggressurus opus ; et debita nomina famae
 9 quantum mortales poterunt se tollere voces,
 10 et quantum cupidi Phoebus concedet Apollo
 11 viribus, altisona versus compage daturus.
 12 Nec mihi : tantillas, referenti, carmine pugnas
 13 turpesit Aonio deducere vertice Musas
 14 vel si forte mihi vitio quis vertat, Homerum
 15 objiciens patiar tanto sub vindice tutus ;
 16 at tu quem Latiae exornant Graiaequae Camenae
 17 Musarum Nicholae decoris, pars maxima nostri,
 18 pulvereum cujus monitu hoc percurrimus aequor
 19 quodcumque est : nostri monumentum et pignus amoris
 20 indignum virtute tua licet accipe munus.
 21 Sed jam terrificae repetam primordia pugnae.
 22 Impia magnanimus per vulnera sanguine fuso
 23 flucticolum scelera, et dilecti funera nati
 24 ultus Trosartes : Fortuna laetus amica
 25 armato patrios repetebat milite muros.
 26 Ecce per obscuram noctem caecasque tenebras
 27 carpentis placidam tacita sub nocte quietem
 28 alterius subito nati infelicis imago
 29 constitit ante pedes trajecta lurida vultu
 30 et truncata manus. Lacerataque pectora ferro
 31 quas habuit caeli tollens ad sidera palmas
 32 cum lacrimis sic visa loqui : "Quo signa reportas,
 33 infelix pater, et victricia contrahis arma.
 34 An satis exhaustum belli est, ultusque videris
 35 caede tuos. Heu, quo nostri tibi cura recessit
 36 nos, tua progenies, et aviti gloria regni
 37 neglecti cineres manesque jacemus inulti,
 38 impius insultat truncatis artibus hostis
 39 et tua per nostram scrutatur viscera mortem.
 40 Rumpe moras et crudelem ferro erue gentem
 41 Echthromydum flammis involve domosque virosque."
 42 Dixerat, er largo fletu manante per ora

43 proripuit sese, in tenuesque evanuit auras
44 persimilis fumo nebulisque a sole repulsis.
45 Ast pater ingenti gemitu : "Quid saeve recusas
46 amplexus, o nate meos" dicebat ?" et una
47 corripit et stratis corpus, somnusque recessit.
48 Tum patrios celebrat veterum de more parentum
49 thure focos plenaque deos veneratur acerra.
50 Interea pulsus rutilans Aurora tenebris
51 Phoebis afflata rotis subvectaque bigis
52 reddebat vitae miseris mortalibus usum.
53 Hic rex ingenti comitum stipante caterva
54 concilium vocat, et tumulo sublimis ab alto
55 bellorum dixit : "Socii, victricia signa
56 ultima per mundi quarto jam ducitis anno,
57 quos furor et saevi per mille pericula Martis
58 terribiles fecit populis disjecta lacertis
59 Hydria jam vestris Ranaeque in Marte peremptae.
60 Catorum populos totamque evertere gentem
61 in nostris positum manibus : securus quietos
62 gens agitat luxur lascivaque tempora vitae
63 longa pace trahit festivisque otia ludis,
64 nobis prae manibus ferrum est ; justissima belli
65 natus causa meus (simul hic lacrimantia tersit
66 ora manu) quem crudeli gens impia fato
67 absumpsit. Vidi caperem dum nocte quietem,
68 illum ostendentem fera vulnera seque petentem
69 ulcisci : justis desunt nec numina coeptis,
70 si sedet haec animis eadem sententia vestris
71 ulturus manes nati patriaeque pudorem
72 bella paro, et nostrae non infima nomina famae."
73 Dixerat, et laeto strepuerunt omnia plausu,
74 assensusque dedit voces ad sidera miles,
75 ultima verba ducis laeto clamore secutus.
76 Ille ubi tam prono susceptum milite bellum
77 fortunamque videt facilem, felicia tolli
78 continuo vexilla jubet, rapidisque volucris
79 passibus arva legit rapido velocior Euro
80 difficilemque viam tanti solamine voti
81 alleviat sollers : superat labor omnia durus
82 fluminaque et montes et densas robore silvas
83 unde neque in medio sol ardentissimus orbe
84 ductoris tardavit iter, saevusque procellis
85 Auster, et indomitis stridens aquilonibus ingens
86 grandine tempestas multa. Jam Delius imo
87 Oceano tingebat equos et flumine Gangis
88 tollebat nox atra caput densusque tenebris
89 involvens una terram caelumque tegebat,
90 hostiles cum ductor agros devectus iniquas
91 constitit obscuro meditatus tempore fraudes
92 urbe procul densis surgebat in aethera ramis
93 arte nemus clausum multarum lustra ferarum
94 mos erat Echthromydam saltus venatibus aptos
95 cingere ductori si quando pectore curas
96 ponebat rigidas genioque vacabat amico
97 atque ubi Phoebus equos tremulae sub tempora lucis
98 jungeret egregio ventura luce paratu,

99 assuetum late nemus indagare pararat,
 100 huc se Trosartes armato milite confert.
 101 Inde per anfractus nemorum collesque propinquos
 102 occultat socios divisisque agmina signis
 103 disponit : juxta fauces, aditusque malignos
 104 ipse reservato meliori milite sedit.
 105 Panditur interea divum domus omnipotentum
 106 conciliumque vocat rectorque hominumque deumque
 107 sublimis medio Caeli ; tenet aurea dextra
 108 sceptrum manus, fulget gemmata pressa corona
 109 caesaries, fulvo tegitur velamine corpus.
 110 Orbem laeva premit, dextra laevaue Senatus
 111 caelicolum sedet, et majorum Numina divum.
 112 Stat vulgus juxta in morem ritumque coronae,
 113 ille ubi terrifico totum tremefecit Olympum
 114 sublimis nutu. Indixitque silentia cunctis
 115 talia concilii causam quaerentibus inquit.
 116 "Jampridem pulso regnis ubi gloria cessit
 117 Saturno Imperii nobis majusque tonante
 118 regia nil habuit pigra sublimis Olympi
 119 exosus pigre gentes torpere veterno
 120 decussi mella, e foliis sacroque fluentes
 121 nectare compressi fluvios ; aeternaue veris
 122 tempora partito jussi dissolvier anno
 123 ne pigra in silvis rudium de more ferarum
 124 naturam contempta suam protenderet aevum
 125 gens hominum, ut duro proscissam vomere terram
 126 depositum Cereris peteret cum fenore munus
 127 agricola, ut tecto pluvias arceret et igni
 128 frigora collisis invento fomite saxis,
 129 utque novas orbi sollers extunderet artes
 130 cura virum processit eo res usque, reperta
 131 audax caeruleum findit mare navita puppi
 132 innixus remo ; mutataque sidera servat
 133 orbe sub extremo et domito vehit aequore merces.
 134 Jamque aurum omniferae lacerato viscere terrae
 135 prodiit : argentumque, electra sonantiaque aera,
 136 tum duri massae chalybis. Jam bella per orbem
 137 sanguinea volitant acie sollersque nocendi
 138 invidia expatiatur ovans totumque maligno
 139 mundum felle rigat. Jam conjurata per urbes
 140 gens, proh sacra fames auri, mucrone corusco
 141 (nec satis erudiunt saevis Titanes ab armis
 142 fulmine dejecti sub inhospita Tartara nostro)
 143 in proprium furit exitium. Primoque juvena
 144 vitam exosa cadit : pauci novere senectam.
 145 Sed sit fas homini bella exercere, cavaque
 146 flumina et aequora <...> pontum superare carina (vers lacuneux)
 147 verum adeone precor concessa licentia ferri
 148 et bello miscere fretus verumne precamus
 149 tanta adeo cunctis concessa, licentia ferri,
 150 ut fera terrigenae veniant ad proelia Mures ;
 151 hi vel flucticolas fausto certamine Martis
 152 turbarunt bellis ranas, totamque nefandum
 153 demisere neci gentem ; nunc rursus in armis
 154 Catorum populo quo nam sub numine divum

155 insidias tum bella parant, quod si quis ad arma
156 impulit hos vestrum hae leges et foedera rerum
157 neu lateant vos fata deum ; saevasque Sorores
158 certetis vana spe flectere. Sanguine multo
159 undabunt campi Echthromydum ; flebitque suorum
160 funera Saurophagus verso qui cardine rerum
161 hostiles vastabit agros et caede cruenta
162 involvet captam flammisque ultricibus urbem."
163 Dixit et obtutu fixo spectabat in ora
164 adstantum, farique dedit : "Tum Pallas ab alta
165 sede, ait, o divum genitor rerumque repertor,
166 haud equidem inficiar miserorum sorte moveri
167 si sedet inter se certis concurrere fati,
168 Echthromydas Muresque preces nec respicis ulla
169 non ausim fati restare et tendere contra."
170 Quamquam, o si meritis quicquam conceditur ore
171 dicebat. Cum Cyllenes generatus in oris
172 Phoebusque et Juno, Mars et Bellona Venusque
173 surrexit voluitque loqui, tum Juppiter alto
174 iratus vetuit solio, vultuque minaci
175 distulit in tempus supera de sede repulsis,
176 concilium divis aliud depulsa per amplum
177 alternant varia formidine numina caelum
178 sermones. Metuuntque irati tela Tonantis.
179 Jamque sub Eoi Titan molimine mundi
180 quadrijugos frenabat equos et praescia lucis
181 Aurora in roseis fulgebat lutea bigis
182 in portis delecta manus ; nodosa geruntur
183 retia diffulgent late venabula ferro
184 nare sagax it turba Canum, fortisque Molossus
185 egregiusque Lacon, illorum hic copula collo
186 nectit, (et) ille petit longis hastilibus astra
187 ipse inter medios aurata veste decorus
188 progreditur sublimis equo. Sonat aureus arcus
189 ex humeris pharetraeque procul fulgore coruscant.
190 Gnossiacis plenae telis, subit ordine pubes
191 velleribus niveis et Poeno discolor ostro.
192 Parte alia effulgens rutilis Regina lapillis
193 feminea stipata manu, nudata lacertos
194 venatrix, collecta sinus surasque cothurnis
195 evincta ingreditur ; qualis per lustra ferarum
196 Latois exhausta per vulnera mille pharetra
197 nobilis incedit, tumulisque elata ferarum
198 prostratis ; pone innumerae juxtaque sequuntur
199 Naiades. Illa manu vacuas tractare pharetras
200 laetatur, madidumque ferarum sanguine telum.
201 Ut ventum in silvas et devia lustra ferarum
202 ecce ruunt summo capreae de monte fugaces,
203 tramittunt campos alia de parte patentes
204 pulverulenta fuga glomerantes agmina cervi ;
205 insequitur late fugientes laeta juvenus,
206 nunc sude, nunc jaculo infestans, latratque Laconum
207 vis infesta canum tergoque insultat hiatu.
208 Jamque fere medio Sol ardentissimus orbe
209 urebat late campos. Et languida cursu
210 Cattorum pubes nemoris diffusa per umbras

211 errabat, cum terrifico feralia cantu
 212 classica promotis turbarunt aethera signis,
 213 erumpunt latebris Mures ; subitoque tremendum
 214 venantes forti miseros cinxere corona.
 215 Fit fragor et densis telorum nubibus aer
 216 occulitur, crebrae baleari verbere glandes
 217 funduntur, validis jaculantur saxa lacertis.
 218 Impulsaque leves torquentur cominus hastae.
 219 Quae nunc Calliopae vel quis mihi carmen Apollo
 220 suppeditet, fontisque altos haurire liquores
 221 Gorgonei pleno ore sinat ! Cadit undique vulgus
 222 Cattorum et vario ponunt in vulnere vitas.
 223 In partes cadit ille duas, hic viscere rupto
 224 labitur, ast alius transfixo pectore terrae
 225 haeret et exstantem moribundus concutit hastam.
 226 Quercus erat media in silva frondentibus ingens
 227 ipse nemus ramos, cum se vecordibus ausis
 228 contulerat fugiens medio non parva tumultu
 229 Echthromydum manus et ramos amplexa latebat,
 230 sed fuit exitio numerus non pondere ramus
 231 non aequo pressus subita petit ima ruina ;
 232 excussi cecidere alii pars fragmine trunci
 233 pressa jacet. Vasto procul advolat impete saevus.
 234 Ipse inter medios nudato turbidus ense
 235 Trosartes socios hortatur et incitat : "Ite,
 236 ite per imbelles gladio ductore catervas,
 237 femineas prostrate acies, ensesque cruore
 238 hostili exsatiare, viri : Deus horaque nostra est."
 239 Sic fatur mediumque furens perfertur in agmen,
 240 nonsecus ac Libycis accepto vulnere moris
 241 perfurit auctorem quaerens leo vulneris, acri
 242 perscrutans ; visu si forte aspexerit, in se
 243 omnia tela ruant licet, imperterritus asper
 244 per medios enses et per venabula fertur,
 245 donec comprehenso rabiem consumat in hoste.
 246 Tunc ducis exemplo miles succensus acerbo
 247 ensesubit : cadit Hypsiboas et turbidus ira
 248 Chleptichreas et ruricolum populator Apenis
 249 innumerique alii, quos est mora longa referre.
 250 Has inter clades et saevi munera Martis
 251 Citrobates viso truculentus rege, vocatis
 252 intorquet telum superis. Hoc tempora praeter
 253 sibilat et summas acie diverberat aures.
 254 Tum rex bellorum casu concussus acerbo,
 255 Mercurio monstrante viam sub nubibus atris,
 256 Saurophagus paucis comitantibus avia lustrat
 257 occulti nemoris et qua via tutior, armis
 258 insidiisque vacat, trepidam confugit ad urbem.
 259 Illacrimans summoque jacet convicia caelo.
 260 Tunc vero ingeminant ictus miserabile mures
 261 inclusosque hostes gratas per vulnera mactant
 262 Artophago inferias, manant aspergine summae
 263 sanguinis effusi quercus. Fluit altui ubique
 264 fluminis in morem sanguis, vulgoque carinis
 265 sufficerent undae fusi per bella cruoris.
 266 Hic victor per saeva diem certamina mensus

267 parcere jam ferro rex atque ex ordine duci
 268 captivos praedamque jubet. Captiva premebat
 269 lumina devinctis post tergum regia conjunx
 270 infandum manibus, nec non pulcherrima Clitis,
 271 regia progenies et aviti gloria regni
 272 Craugasides, quos ad patrios comitante caterva
 273 dimisit muros fausti libamina belli.
 274 Hic victu exiguo et non aequi pondere ferri
 275 carceribusque domat taetris, servatque triumpho :
 276 protinus hinc dicto centum properantius arae
 277 caespite de viridi surgunt mensaeque parantur
 278 nec prius aut epulas, aut almi munera Bacchi
 279 fas ulli tetigisse fuit, quam multa precatus
 280 Trosartes mensis sacrum libavit honorem.

AELUROMYOMACHIE LIBELLUS SECUNDUS.

P_199B v.1 Interea trepidis ductor succurrere rebus
 2 praecipitat curasque animum diducit in omnes
 3 Saurophagus (suadet timor) et pudor additus una
 4 antiquaeque decus famae stimulative futuri
 5 dedecoris. Si non patriis a moenibus hostes
 6 arceat et poenas illorum e sanguine poscat.
 7 Ergo sub extremis populos regionibus orbis
 8 convocat expositos velox ; totamque sub armis
 9 Aechthromydom cogit gentem : coit omnis in unum
 10 Cattus et armato complentur milite castra.
 11 Ductor ab aurora numeroso laeta Leontes
 12 agmine castra subit populos, extremaque secum
 13 Bactra trahens. His intortis nigra ora capillis
 14 et vasti manibus ungues dentesque feroces
 15 immani morsu, peltis armata sinistra,
 16 hasta dextra gravi ; nec non generosus Apenis
 17 solis ab occidua veniens trahit agmina parte
 18 Hispano de patre satus de matre Pelasga,
 19 ense brevi in pugnas mos est prodire catervis,
 20 hujus et infausto ferrum foedare veneno.
 21 At qua se gelidis cohibent in finibus Arctos
 22 Micharis horrendos Boreali frigore Cattos
 23 sufficit et duris emunit castra catervis.
 24 Ingens procerum niveumque et forte sub armis
 25 iis corpus, cruda detrectant bella bipenni
 26 ballistaque gravi et jactu Balearis habenae.
 27 Et qua se Libyae pluvio porrecta sub Austro
 28 extendit propiorque polo disterminat arva
 29 Aurivacas rapido ductor trahit agmina cursu,
 30 quin et Sauromatae venere ad proelia Catti,
 31 et Porini misere suas in bella cohortes
 32 extremique hominum Blemyae ignotisque sub astris
 33 jungunt se comites rapidis Antichthones armis.
 34 Sed quid plura moror ? Fulget generosus in armis
 35 omnis Cattorum populus quocumque sub orbe
 36 degit, et aetherias carpit mirabilis auras.
 37 Quos ubi collectos jam laeto pectore vidit,
 38 Saurophagus placidis intra sua moenia ducit

39 ductores ipsos sermonibus ; altaque monstrat
 40 templa deum sacrasque domos. Jam tecta subibant
 41 regia, suscipiunt famuli thalamisque paratis
 42 disponunt. Magno interea convivia luxu
 43 accelerant intus alii sedet ordine longo
 44 Cattorum pubes dapibusque repletur opimis.
 45 Astant tercentum famuli, pars vina ministrat,
 46 pars epulas, variantque vices : nunc plena reponunt
 47 pocula, nunc patinas capiunt, dapibusque vicissim
 48 mutatis. Placido celebrant convivia ludo.
 49 Postquam exempta fames et edendi pulsa libido,
 50 pocula pampineo siccant spumantia succo.
 51 Fit strepitus tectis ingens raucumque reclamant
 52 atria curva, sonat laetis clamoribus aether.
 53 Hic pateram ductor gemmis auroque rigentem
 54 exposcit veterum decus et monumenta parentum.
 55 Qua soliti libare deis vinoque coronans
 56 rex ait : "Omnipotens (nam te aequa pendere lance
 57 cuncta ferunt) adsis et justa fronte serenas
 58 aspice nos faustumque diem et felicia coepta.
 59 Da, pater, eventu laeto bellantibus esse."
 60 Haec fatus mensis sacrum libavit honorem.
 61 Tum reliqui proceres : cithara praedoctus Apenis
 62 personat aurata et concordi voce profatur
 63 bella Giganteis quondam sudata lacertis
 64 Pindon et Emathio suppositum Pelion Ossae
 65 et disjecta fero crudelia fulminis ictu
 66 membra draconigenum Siculo pars clusa Pachyno
 67 Inarimen pars magna premit pars maxima caecum
 68 Tartaron et tristis fauces observat Averni.
 69 Quae postquam pulsis concordans carmina nervis
 70 concinuit, medio Luna fulgente polorum
 71 cesserunt nocti ; placidus sopor occupat artus.
 72 At non magnanimus curis in nocte solutis
 73 Trosartes carpebat iter lucumque relinquens.
 74 Haud procul immenso laetus tentoria campo
 75 figebat, tum captivos praedamque recensens
 76 felicemque diem cum primum roscida mundo
 77 Aurora in roseis fulgeret nata quadrigis,
 78 quamvis summissas tacita sub nocte cohortes
 79 sciret, et ex omni collectas orbe phalanges
 80 fortunae incumbens dextrae imperterritus armis
 81 percussam rapidis urbem vastare parabat ;
 82 addebant spem jussa deum visusque per umbram
 83 esultare levis gratesque referre parenti
 84 Artophagus ; bellique sibi spondere futura
 85 eventus faustos luce et certamina laeta.
 86 Ergo asper monitisque deum natique superbus
 87 invigilat curis ; noctemque et sidera caeli
 88 increpitat tardosque Aurorae vocibus ortus
 89 et jam curriculo nox intempesta nigrantem
 90 stringebat metam, nec se Tithonia conjunx
 91 protulerat thalamis primoque in limine fulgens
 92 stabat adhuc, rutilosque combat pectine crines.
 93 Pervigil emotis Trosartes agmina signis
 94 corripit, et gressum vicina ad moenia tendit.

95 Jamque propinquabant urbi raptisque parabant
96 invisos, scalis muros invadere et ipsas
97 cardine dimotas ferro convellere postes,
98 cum trepidus jussisque deum turbatus iniquis
99 castrorum imperium cui cesserat inclytus armis
100 Pordibaris. Demens viso procul emicat hoste,
101 et quantum clamare valet : "Rapite ocius arma :
102 hostis adest. Arma, arma, viri !" clamatque capitque
103 et totam effundit turbata per aequora pubem.
104 Tum fragor et litui tinnitus aethera curvi
105 proturbant et terrifico fera classica cantu
106 Tyrrhenaeeque tubae clangor. Clamorque virorum
107 exoritur. Furit horrificis exercitus armis.
108 Non secus Euboici pro cursu illisa Capharei
109 Euripi furit unda fremens fervetve tumultu
110 majori rapiturque fretum quod sole supremo
111 verberat Herculeas und adlatrante columnas.
112 Primus in adversas vibrato tela lacerto
113 jecit acerba fremens Pernoglifus ore cohortes.
114 Quassantem caput et meditantem cuspide pugnas
115 praevenit hasta volans qua fibula nectitur armo
116 Craugaliden alteque latus transmittit apertum.
117 Labitur infelix foedoque in vulnere sese
118 versat et horrendos Stygius color occupat artus.
119 Tollitur ad caelum clamor passimque resultant
120 ictibus umbrosae valles, densusque viro vir
121 haeret et adverso bellantum pectore pectus
122 tunditur. Exsultat Stygiis horrendus in undis
123 navita Tartarea subvectans agmina cymba
124 defunctorum hominum et raptas in funere vitas.
125 Per medios Stygio immanis Bellona flagello
126 anguicomum quassat caput et furialia bella
127 instaura. Cadit innumerum sine nomine vulgus
128 permixtique duces, fluit alto sanguine tellus.
129 Parte alia immissis Mavors infestat habenis
130 Odrysios horrendus equos hastamque trementem
131 quassat et infandum accendit renovatque furorem.
132 Quis deus innumeras caedes gemitumque cadentum
133 det pleno posse ore loqui ? Quis carmine tantis
134 digna umbris lamenta ferat, ruit acer ab urbe
135 Saurophagus rapidoque trahit secum agmina passu ?
136 Sed laevum egressis et lamentabile portis
137 turbavit mentes omen tristemque paravit
138 eventum. Putri manavit sanguine tellus,
139 auditique canum gemitus et limine in ipso
140 haeserunt pede colliso. Tamen aspera bella
141 miscebant odeo et crudo Mavorte ruebant.
142 Hic vero ignescunt animi densusque sub aethram
143 elatus lucet mucro creberque cadentum
144 auditur gemitus, resonatque fragoribus aether.
145 Turbidus in medios stimulis immania figens
146 ilia cornipedis ruit et caedentia laxat
147 agmina Trosartes late, ferroque ruentum
148 incumbit tergo et longa supereminet hasta,
149 ceu, stimulante fame, Libyes furit asper in oris
150 armentum leo congressus : fugit avia pastor

151 lustra petens. Ille immani truculentus hiatu
152 nunc hos, nunc illos ferit interimitque juvencos
153 nec satiat : pleni spumant in sanguine rictus,
154 perfurit infestus turbata per aequora miles
155 exemplo ducis et palantes obruit alis.
156 Jamque inclinabant acies versisque ruebant
157 Aechthromydes alis regemque et proelia et arma
158 damnarant, quis increpitans palantia ductor
159 terga : "Quid, o miseris, inquit, quid deinde, quid ora
160 restat io profugis ? Vos <....> ducitis ipsos (vers lacuneux)
161 Trosartem ad muros et moenia panditis urbis,
162 vos in tecta faces datis atque in templa deorum.
163 Sta miles, sta, quo raperis." dicebat, et ecce
164 terribilis multa juvenum stipante caterva
165 Trosartes aderat truculentaque proelia miscens
166 regem exposcebat regemque exercitus omnis.
167 Palluit, et versis urbem diffugit habenis
168 Saurophagus ; sequitur fugientem ignobile vulgus.
169 Tunc trepidus miles damnatis degener armis
170 credere se pedibus coepit. Pars moenia quaerunt,
171 pars castra, et tutos vicina in valle recessus.
172 Quippe instat mortis metus, et spes candida vitae
173 sollicitat. Quantum potior sententia leto.
174 At si qui interea, Stygiis quos Juppiter umbris
175 damnarat fident armis, funduntur, et acri
176 pars ferro cadit, aut tristi religata catena,
177 servitium passura graves servatur in annos.
178 Hic ductor magna juvenum comitante caterva
179 funera Trosartes larga occultantia campos
180 respectat caede ; ac laeti libamina belli
181 ingentem armorum Mavorti incendit acervum.
182 Huc galeas fractosque enses clypeosque recenti
183 sanguine perfusos magno clamore juvenus
184 accumulans hastasque super cristasque comantes.
185 Ipse facem quatiens cumulatis admovet armis,
186 Martem in vota vocans ductor. Crepitantibus atram
187 dispergit nubem flammis Vulcanus in auras,
188 at trepidus fatisque deum percussus iniquis
189 Saurophagus festinat inops ipsasque sub armis
190 relliquias cogit belli, tristemque reatum
191 Fortunae crepitans, nunc portas obice firmat.
192 Nunc urbis muros munitasque inspicit arces
193 moliturque novas moles ; vigilique pererrans
194 urbem scrutatur visu, tormenta que ponit
195 aenea munitos longe tutantia muros.
196 Tum maestum vulgus et tristes curia patres
197 praecipitant curas et, persuadente pavore,
198 certatim per templa ruunt divosque precantur.
199 Nec minus et matres : tristis chorus undique magno
200 cum plangore ruunt et numina voce fatigant,
201 suppliciter palmis tunsae et donaria replent.
202 Ipse ad Phoebos aditus stipante caterva
203 incedit ductor responsaque fida sub antris
204 exposcit vatem eventum finemque malorum.
205 Illa diu postquam vasto bacchata sub antro
206 mente deum concepit atrox rabidoque prementem

207 pectore sustinuit, placida sic voce profatur :
208 "Pelle tuo, ductor, graviores corde timores.
209 Adversi quicquid durique, in Marte manebat
210 exhaustum est ; leviora adeo restare laborum
211 nuntio, nec certus mentem deludit Apollo.
212 Tu modo vota deis supplex votivaque dona
213 fer, divumque aras tepido venerare cruore,
214 neu tu cede malis. Aderit Gradivus, et ipse
215 Juppiter instantem depellet moenibus hostem."
216 Tantum effata silet vastoque occluditur antro.
217 Et nox humentem terris induxerat umbram
218 Oceanoque caput rutilum aureus abdiderat Sol ;
219 omne hominum genus in terris silet, omne ferarum.
220 Tunc sic Mercurium affatur Pater : "I, mea proles,
221 Cattorumque ducem tristi qui sorte malorum
222 percussus : rapidi volvit certamina Martis
223 affare et monitis sopitum talibus imple.
224 Tranfer in hostiles terras inimicaque bellum,
225 moenia praerapido ducens tecum agmina cursu
226 victor magnanimo persolves vota Tonanti.
227 Hinc exsultanti rebus tumidoque secundis
228 suade fugam et magnis ipsum terroribus imple
229 Trosartem retroque ferox impelle morantem."
230 Dixerat ille. Patris liquidum secat aera jussu
231 accelerans, terraeque volans illabitur almae.
232 Castraque despectat procul invigilesque per arva
233 excubias foedoque fluentes sanguine campos,
234 constitit hic anceps quem primum invadit. Et inde,
235 depositis formaque dei vultuque decoro,
236 Saurophagum petit. Ille vigil versabat inani
237 eventus belli cura mentemque premebat
238 consiliis. Virga Cyllenius occupat acrem
239 et somno certum non cedere, sparsaque fundit
240 nectare Chimerio Lethaea papavera supra.
241 Protinus effuso per membra jacentia somno
242 affatur regem divumque hortatibus implet
243 confessusque deum dictorum in fine relinquit.
244 Jam somno excitum mirandaque pectore visa
245 volventem et dextra referentem supplice grates
246 orantemque deum prosequi mandata parantem.
247 Trosartemque adit. Hic placido languentia somno
248 pectora praebuerat stratoque jacebat in alto.
249 Aggreditur ferale canens, similisque perempto
250 Artophago suadere fugam, conversaque magnae
251 fortunae corda omnipotentis et addere muros
252 obsessos patriae et vacuos vix stare Penates.
253 Jamque hostem hausurum flammis urbemque virosque
254 verum ubi nequicquam suadet monstratque neganti
255 terribilis stimulat furiis umbrisque profanis
256 terret, et avulsum terris stridente procella
257 ad patrias urget sedes et multa precantem
258 exagitat monstris et cruda Gorgone vexant
259 atque idem toto perlabitur agmine saevo
260 verbere concutiens animos. Stimulatque paventes
261 vertere terga fugae patriosque revisere fines.
262 Hinc dicto aetherias repetit celerantius auras

263 maternumque Atlanta petit caelumque revisit.

AELUROMYOMACHIE LIBELLUS TERTIUS.

P_199C v.1 Jam vaga flammifero praefulgens sidera caelo
 2 Lucifer Eoi primo sub cardine mundi
 3 pellebat roseoque premens de vertice rores
 4 omniferam placido lustrabat lumine terram,
 5 Trosartes dat terga fugae trepidoque tumultu
 6 deserit hostiles campos : sic fata jubebant
 7 infandaeque hominum sortes diraeque Sorores
 8 impellente deo. Trepidasque per <...> cohortes (vers lacuneux)
 9 praerapido ducit passu tristisque pavore
 10 praecipitat furiis agitatus et ordine nullo
 11 dispositus. Jam damnatis exercitus armis,
 12 heu durae rerum sortes, modo victor et acri
 13 praecellens pugna turpi terrore fugatur ;
 14 praecedunt furiae ante oculos varioque pererrant
 15 pectora discursu. Nunc diruta moenia ferro
 16 objiciunt oculis et versas funditus arces,
 17 indutam flammis urbem, gemitusque suorum
 18 audiri et matrum planctus lamentaque saeva,
 19 dum trepidi repetunt Mures sua moenia cursu.
 20 Jam rex instructo diverso tramite praeceps
 21 milite Saurophagus invisae proximus urbi
 22 secretum carpebat iter tacitoque tumultu
 23 urbe procul quantum Balearis verbere fundae
 24 tramittit glandis valido contorta lacerto.
 25 Constitit et positus valido conamine castris
 26 despectat procul urbem oculis aditusque locorum
 27 explorat causasque et cura examinat acri.
 28 Despicit Eoos modico sublimis in ortus
 29 urbs imposta jugo murisque et turribus altis
 30 Clisia tutatur nativoque aggere terrae.
 31 At qua se Hesperiiis Titan abscondit in undis
 32 quaque Notum videt et pluviali subditur Austro
 33 prona jacet, pigramque extendit in aequore molem.
 34 Sed qua praegelidos acclivis vergit in Arctos
 35 tuta per aequoreos extendit moenia fluctus.
 36 Audax vectus equo paucis comitantibus omnis
 37 agminibus ductor partes rimatur, et ipsos
 38 cingere jam muros certa obsidione parabat.
 39 At cives trepidare metu subitoque pavore,
 40 difissi muris, jam desperare salutem,
 41 Atque urbem sub qua dare condicione coquebant.
 42 Sed celer et tristi furiarum percitus oestro
 43 Trosartes aderat secumque exercitus omnis,
 44 at procul hostiles ut praefulsero phalanges
 45 torquetur ; curisque sagacibus angitur acer
 46 Saurophagus quaque invadat sub corde volutans
 47 arripit expertum bellis pugnaque feroci
 48 agmen. Per silvas perque alta silentia luci
 49 secreta jubet ire via, quo paene ruentes
 50 invadant acies ferro refugosque sub ictu
 51 excipiant latebrasque negent silvaeque recessus,

52 Pordibaris bello insignis crudaque juventa
 53 illis ductor erat astuque tremendus Apenis,
 54 quae postquam digesta duci. Rapit ocuis Euro
 55 agmina Memnonio et venientes circuit hostes
 56 per subitum densa cingens utraque corona,
 57 atque acuit stimulatque suos, implensque furore :
 58 "Ecce dies optata, viri, qua sanguine manes
 59 exsaturemus, ait, patrios casuque probemus
 60 fortunae vicisse hostem. Nudate coruscum
 61 ensem, jamdudum atque aspergite sanguine ferrum :
 62 en hostis fessusque via : eia advertite quaeso
 63 et me me spectate, viri : quantumque recludam
 64 tantum audete manu, et mucrone intrate corusco."
 65 Dumque ea Saurophagus flammato pectore fatur,
 66 Trosartes medio sublimis in agmine Murum
 67 affatur maestas acies et talibus inquit :
 68 "Per nostra, o socii, decora et per plurima dextrae
 69 parta tropaea manu, per vos patriosque Penates
 70 perque deos, testor, maestas deponite curas
 71 et fortem revocate animum ; seu tristia fata
 72 sive hilarem Fortuna diem ferat ; abdidit alto
 73 Juppiter eventus hominum venturaque fata,
 74 humanae rerum sollers in pectore vitae.
 75 Quippe extrema vocant : quod si sperare negatur
 76 desperare licet victis per mille labores
 77 et rerum per mille pericula tollimur altas
 78 ad caeli sedes. Nostra est, si lumine justo
 79 aspiciet deus ipse preces, victoria tanto.
 80 Si minus annuerit deus et fortuna labori
 81 haud tamen inferni manes petiemus inulti
 82 Tartareas Ditis sedes obscuraque regna
 83 armati moriamur, et in medios <...> ruamus (vers lacuneux)
 84 omnes ense simul." Dixit, succensa furore
 85 his pubes vesana ruit densumque relata
 86 in cuneum furit, ut catulis sub rupe relictis
 87 quem stimulat vesana fames lupo. Ocuis acri
 88 aethera prorumpunt feralia classica cantu
 89 Tyrrhenusque tubae clangor, lituique recurvi
 90 tinnitus motat, fuscatur pulvere caelum.
 91 Quis tantas adeo caedes caecosque furores
 92 bellantum variumque necis genus explicet ? Illo
 93 carmine quo dignum est, o Clio novemque sorores :
 94 hoc opus hic vester labor aspirate canenti
 95 et facilem monstrate viam. Ruit aspera ferro
 96 et devota neci pubes, atque ilicet omne
 97 obruitur telis caelum passimque cadentem
 98 auditur gemitus ; cadit acri pondere saxi :
 99 perfractus caput Artophagus, terramque cruento
 100 ore premit, tristes petit audax spiritus umbras.
 101 Occidit et Pernas solitus populare suillas,
 102 Pernofage emoto perflavit pulvere campum
 103 halitus aerias propere diffusus in auras,
 104 nec te Phoebeae texere Phagoxyle mitrae,
 105 namque tuum elato dum vibras tela lacerta
 106 tramittit pectus non aequi ponderis hasta ;
 107 nec Pernotroctum dii protexere cadentem,

108 qui sibi longa suae spondebat tempora vitae
109 alite deceptus vano : proh nescia rerum
110 mens hominum ! Cadit obliquum transfixus ab hasta
111 guttura Trogogites murum ditissimus ; heu quid
112 divitiae multosque juvant cumulata per annos
113 pondera flaventis auri ! Discrimine nullo
114 Tartareas petimus sedes amnemque severum.
115 Advolat armato propulsa turbine porta
116 spuria Trosartae proles ex urbe Psicarphax
117 et pone aggreditur Cattos ; stragemque dedisset
118 ingentem, ni quae latebris inclusa juvenus
119 sub duce Pordibari stabat, prodisset in aequor.
120 Ergo acri incursu concurrunt undique : Catti hinc,
121 hinc Mures. Primo sed enim conamine fracti
122 praebent terga fugae Mures urbemque requirunt.
123 Instat atrox tergo Cattorum exercitus omnis.
124 Nunc sude nunc jaculo infestans, Muresque sub ipsas
125 interimunt portas : it ad ardua sidera clamor.
126 Parte alia pulchro Martis succensa furore
127 Aecthromydum gens saeva furit quaque acrior ipsos
128 invitat pugna stricto mucrone feruntur.
129 Per medios immane fremens furialia miscet
130 proelia Saurophagus ferro crebroque furentem
131 cornipedem stimulis fodit, ingrui aspera pectus
132 quacumque ille ruit formido : timorque pavorque
133 exterrent mentes et formidabilis ira.
134 Ille per immensum stravit tot funera campum
135 obvia quot freti telis et Marte cruento
136 ora tulere viri, ceu silvis aspera tigris
137 Hyrcanis rabie ventris stimulata nefandi
138 obviet armentum, si fors truculenta rapaci
139 hos petit atque illos morsu sternitque juvencos,
140 atque ipsis fugientibus insatiabilis haeret :
141 spumant horrendi caesorum in sanguine rictus.
142 Talis erat tantaque furebat turbidus ira
143 Saurophagus, largoque implebat funere campos.
144 Trosartes paucis fugientum mixtus ad urbem
145 qua levior belli moles leviorque tumultus
146 vertit iter tacitum, fortuna evadere mortem
147 annuit, et misero vita producere regi
148 unum posse diem concessit ; funditur omnis
149 ilicet et Murum densis exercitus armis
150 obruitur, largis latitant sub caedibus arva.
151 Hic mentem egregiam ductor concepit, ut atram
152 telorum nubem ad muros converteret urbis.
153 Nec mora Pordibarim Polyphonaque Chleptichream
154 ductores vocat ; e tumulo conceptaque pandit
155 consilia, et celeri jubet ire ad moenia cursu.
156 Nulla mora est jusso, vertunt in moenia cursum :
157 per subitum scalae, rutilansque apparuit ignis.
158 Forsan et illa dies urbis suprema fuisset,
159 ni sol praerapidum tinxisset in aequora currum
160 ex alto Murum miseratus : moenia juxta
161 tenduntur castra, et nocti conceditur atrae.
162 Concilium interea rectorque hominumque deumque
163 omnipotens vocat et sella sublimis ab alta

164 unde videt quicquid immensus possidet orbis
165 sidereiue poli sedes ; et talibus inquit :
166 "Venit summa dies qua Murum scilicet imae
167 diruta adaequetur terrae regnata per annos
168 urbs felix multos. Pateat jam libera fati
169 semita, neu vestrum quisquam, impero, tendere contra
170 audeat aut ulli faveat plus nemo minusve."
171 Parcarum hae leges summa, haec sententia mentis
172 dixerat. Et contra paucis Cyllenius inquit :
173 "O pater, o hominum rector genitorque deorum,
174 quandoquidem fixa durarum lege sororum
175 exstingui haudquaquam Murum genus omne tenetur.
176 Da partem, o genitor, bellorum enare furores
177 Aechthromydumque manus fugere atque evadere mortem."
178 Juppiter : "Haec do, nate, tibi do quod petis, inquit.
179 Ergo age continuo terris illabere pennis
180 et quos tanta cupis bellorum enare pericla
181 effugiant dum nocte licet discrimina mortis."
182 Nec mora jam terras tenet et mandata parentis
183 exsequitur, regi similis Cyllenius. Ingens
184 turba coit jussaque ascendit in aequora puppi
185 cum lacrimis procul ex oculis urbs inclyta cedit,
186 et jam flammiferis Titan afflabat Eoos
187 curribus Aethiopes primoque in limine caeli
188 praeradiata nova spargebat lumina dextra,
189 Saurophagus (neque enim in longum producere bellum
190 tempus fata sinunt) delenda ad moenia pergit.
191 Fortunae incumbens instructa signa repente.
192 Concinuere acie et bellandi accensa libido
193 quemque fremens stimulat. Densa praecineta corona
194 culmina murorum apparent, clamoribus aer
195 tunditur et clangore tubae lituique recurvi.
196 Extemplo miles acres succensus in iras
197 aut scalis prensant muros aut ignibus atris
198 tecta petunt, portas alii convellere tentant
199 ariete, nunc facibus ferroque revellere postes.
200 Stant contra Mures celsoque a culmine muri
201 missilibus caelum obscurant et lampade jacta
202 saxaque devolvunt, vasta convulsa ruina.
203 Agmina Catorum pereunt, subit undique miles.
204 Asper et ingenti proturbat ab aggere telo
205 desuper astantes ; longe fallente sagitta
206 pars cadit aut ictu balistae. Turbidus ira
207 Pordibaris qua pugna vocat gemitusque cadentum
208 hac subdit et lata protendens dura bipenni
209 brachia nunc portas frangit, nunc abiete longa
210 proturbat stantes contra, nunc turribus altis
211 ignem jactat atrox ferroque incendia miscet.
212 Parte alia avulsa secum trahit agmina porta
213 intra urbem crudo Mavorte accensus Apenis
214 exsultansque manu reseratae in limine portae
215 convocat hac socias exomni parte phalanges.
216 Perfurit innumerus turbata in moenia miles.
217 Huc rector primique ducum Polyphonus acer
218 Pordibarisque ruunt : it toto turbida campo
219 tempestas rapidoque furit per moenia cursu,

220 non secus Aeoliis ac fracto carcere ab antris
 221 Odrysius Boreas Libycaeque impulsor arenae
 222 Africus incumbunt pelago contortaque ab imo
 223 caerulea turbato tollunt Neptunia fundo,
 224 litora collidunt fluctus lateque sonantes
 225 signiferum spargunt undae per inania caelum.
 226 Tum vero tremefacta nova formidine passim
 227 murum turba ruit vastoque impulsa tumultu
 228 qua pavor attonitos desertis moenibus urget.
 229 Hac subeunt capta passim trepidatur in urbe,
 230 astant pro tectis matres, vocat ultimus omnis
 231 in sua fata labor, cassoque labore superne
 232 fictilibus certant fractis patinisque minutis.
 233 Quis gemitus stragemque virum, quis funera fando
 234 explicet egregia et multos dominata per annos
 235 urbs ruit. Immissa divum penetralia flamma,
 236 templaque sacra cadunt aditus sedesque deorum
 237 et sacra incestae populant altaria flammae.
 238 Convulsasque domos sternuntur inertia passim
 239 corpora, perque vias per tecta domosque laresque
 240 horridus aetherias clamor diverberat auras.
 241 Tum gemitus luctusque et feminei ululatus
 242 et crepitans per tecta vago Vulcanius ardor
 243 flammaram saltu, vento impediens, remugit,
 244 ut gravis abrupto triquetris regionibus Aetna
 245 immugit barathro depastaque sulfure taetros
 246 aetherias reboans ignes dispergit in auras.
 247 Ut vero ad summi ventum penetralia regis
 248 exoritur late clamor tantoque boatu
 249 torquentum saxa resonant loca tormentorum
 250 proxima, concusso quantum ipsa tonitrua caelo
 251 edunt cum jacto terret pater igne Typhoea.
 252 Instant protecti clipeis exercitus omnis
 253 Cattorum et nixu unanimo densissima rumpunt,
 254 hi scalis muros prensant, hi lampada quassant
 255 flammiferam summaque, ignem ad fastigia jactant.
 256 At contra Mures summo de culmine tecti
 257 devolvunt saxa et tectorum culmina jactant
 258 avulsamque ipsis turrim de moenibus altis
 259 impellunt. Ferro aggressi, magno illa fragore
 260 agmina Catorum super incidit atque ruina
 261 obruit ; ast subeunt alii incumbuntque vicissim
 262 cessat telorum nullum genus. Asper ab ira
 263 Chlepticreas crebro diverberat ariete postes :
 264 nutant convulso perfractae cardine portae
 265 limina, magnanimique apparent tecta tyranni.
 266 At domus interea matrum plangoribus alte
 267 impletur resonatque feris stridoribus omnis.
 268 Irrumpunt aditus, vi facto tramite, Catti
 269 invaduntque omnes ferro neque parcitur ulli.
 270 Proh crudus mentis furor et sitis aspra cruoris !
 271 Tum rerum ductor prospectans dura Trosartes
 272 amens arma capit pulchrum succurrit in armis
 273 oppetere et medios fertur furibundus in hostes.
 274 Atque exsultantis caesorum in sanguine Apenis
 275 non exspectato transegit viscera ferro.

276 At ferus ut rapidis effulsit ductor in armis
 277 ingentem totis commissus viribus hastam
 278 Pordibaris jacet et Martem sic voce precatur :
 279 "Da pater armipotens (tua si mihi maxima divum
 280 religio) ut nostro petat ictus Tartara telo
 281 Trosartes spolia illa tibi sublimis in alta
 282 suspendam quercu donum atque insigne tropaeum."
 283 Nec vanus voti fuit ; incita namque per oras
 284 loricae hasta femur ferro penetravit ad imum :
 285 procubuit vitamque leves dispersit in auras
 286 Trosartes, magnaque intravit Tartaron umbra.
 287 Hic finis bello. Aggesta extra moenia praeda
 288 militibus permissa rapi. Flammisque rebellis
 289 urbs fuit excelsae procumbunt funditus arces.
 290 Tunc aequata solo tristes cum sanguine poenas
 291 Clisia persolvit ferro ; populataque flammis
 292 aevi supremas finivit in ignibus horas.
 293 At victor celso patriam comitante triumpho
 294 ingreditur, multoque deos veneratus honore
 295 Saurophagus reduci persolvit vota Tonanti.

P_200 v.1 Si fortunarum fugeret te summa mearum,
 2 quamquam aestiva graves vexarint otia curae,
 3 cardiacos inter gemitus, laterumque dolores,
 4 ambitiosa novas tentasset epistola voces,
 5 altius exacti repetens certamina cursus.
 6 Per jussae commenta sitis jejunia, perque
 7 Arcto relegati deserta in pascua ventris
 8 invetitur prono concessa, negante palato,
 9 cum diversa ferant, vario medicamine ductu,
 10 absinthi mellisque sapor, messisque Sabaeae
 11 mixta peregrinis fomenta domestica succis,
 12 unde vigor membris redeat, velut acrius aures
 13 pulsat inoffensae concors discordia vocis.
 14 Atque ut cuncta tulit, rerum pugnancia servat
 15 alternas passura vices, cum foedere certo
 16 in sua se referent spatiis elementa peractis.

COSMO MEDICI ILLUSTRIS. FLORENT. DUCI SECUNDO.

P_201 v.1 Aspera concretis condit quas bruma pruinis
 2 ver tepidum grato germine promit opes.
 3 Laetus, ut aestivae matura caloribus aerae,
 4 autumnus gravidis poma ministret agris.
 5 Quam melior spes, Cosme, fovet tua rura colentes,
 6 quos bona, vix jacto semine, messis alit.
 7 Aequa Ducum factis veterum facundia praesto est,
 8 quem subeunt gestis aemula verba tuis ?
 9 Pro meritis quis templa colit ? Dare parva videmur,
 10 at quae nunc otii est, copia magna damus,
 11 quod si tranquillo dabitur considerare portu
 12 Musa brevis referet, munera longa morae.

DE AMORE ET MORTE.

P_202 v.1 Nactus idem hospitium noctu cum Morte Cupido,
 2 mutatis temere mane abeunt pharetris.
 3 Haec dolet invalidis dare <....> vulnera fortes (vers lacuneux)
 4 ille mori, dubius suscitatur arma dolus,
 5 pugnantes dirimit Nemesis, male perdita cesses :
 6 summam hominem fugiant haec mala, Mors, et Amor.

DE VENERE ET PALLADE.

P_203 v.1 Cum Venus Aeneae Vulcania posceret arma,
 2 Pallas ad hanc : "Audes ista rogare virum ?"
 3 Cui Venus arridens : "Quid ni Tritonia ? Cum me
 4 non leviora tuo poscat Erichthonio."
